MUSEI LUGDUNO-BATAVI,

INSCRIPTIONES GRAECAE ET LATINAE.

MUSEI LUGDUNO-BATAVI

INSCRIPTIONES

GRAECAE ET LATINAE.

MUSEI LUGDUNO-BATAVI

INSCRIPTIONES GRAECAE ET LATINAE.

EDIDIT

L. J. F. JANSSEN,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

MUSEI ANTIQUARII LUGD. BAT. CONSERVATOR.

ACCEDUNT TABULAE XXXIII.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
1842.

CVRATORIBVS.

ACADEMIAE . LVGDVNO-BATAVAE.

VIRIS . AMPLISSIMIS.

ERVDITISSIMIS.

ILLVSTRISSIMIS.

EA . QVA . PAR . EST .

ANIMI . REVERENTIA .

D . D .

EDITOR.

PRAEFATIO.

Edituro mihi Graecas et Latinas Musei Lugduno-Batavi inscriptiones non alienum videtur ante illarum historiam attingere, edendique causam, consilium et rationem breviter exponere. Quarum rerum ut ignorantia opelli nostri usui officiat, ita earumdem notitia requiri videtur, tam ad dijudicandam nostram qualemcunque in illo elaborando positam curam, quam ad aestimanda illorum Virorum Amplissimorum merita, quorum benevolentia factum est ut suscipi opus et in publicum emitti potuerit.

Seculum fere est, ex quo prima Graecae Romanaeque antiquitatis monumenta Academiae Lugduno-Batavae illata fuerunt; et, quod adhuc ipsius decori deesse videbatur, artis antiquae reliquias dico, suppleretur munificentia Gerardi Papenbroekii, civis Amstelodamensis, patria in urbe plus semel Judicum praesidis atque antiquariae doctrinae et eruditorum amatoris cultorisque (1). Is praedium suum Harlemo suburbanum, villa Papenburgica dicebatur, multis antiquae artis monumentis condecoraverat, oriundis illis ex collectionibus Reynstii, Sixii, Witsenii, Heidani, Wittii, Graevii, Uilenbroekii aliorumque, repertis autem conquisitisque in variis *Asiae* minoris, *Graeciae* et *Italiae* regionibus. Hos antiquitatis thesauros Gerardus Papenbroekius, senex et morti propior, impulsoribus Arentsio Dusseno, V. A. Academiae Lugduno-Batavae Curatore, et Joanne Esgero, V. C. ejusdem Academiae Professore, exemplum vero imitatus divinorum Scaligerorum, Perizoniorum, Warnerorum, Raviorum, anno nostrae salutis MDCCXXXVIII, cum aliis donis literariis,

(1) Verba sunt Fr. Oudendorpii, in Oratione mox laudanda.

testamento Academiae legavit (1). Qua de re fusius egit FRANCISCUS OUDENDORPIUS V. C. in Oratione de Veterum Inscriptionum et Monumentorum usu legatoque PAPENBROEKIANO; Lugd. Bat. apud S. Luchtmans, 1745, 1746, 4°. p. 35—36. OUDENDORPIUS vero non Oratione solum insignem illam PAPENBROEKII liberalitatem justo nomine celebravit, sed luculentius etiam, ipsum donum singulari libello describendo, donatoris nomen ad posteritatem commendavit. Libelli titulus est: Brevis Veterum Monumentorum ab Amplissimo viro GERARDO PAPENBROEKIO Academiae Lugduno-Batavae legatorum descriptio, — studio et opera FR. OUDENDORPII, Lugd. Bat. apud S. Luchtmans, 1746, 4°; cujus libri nuncium dederunt Nova Acta Erudd. Lips. a. 1747. p. 317—320, et J. C. HACHENBUCHIUS, in Epp. Epigraph. p. 608.

Jacto igitur hoc Musei Antiquarii fundamento, pro temporum illorum ratione satis amplo, deinceps alii liberales et in Academiam Lugduno-Batavam benevoli viri monumenta et multa et pretiosa addiderunt: ut, medio fere seculo XVIII BOLLAERTUS, ALLEMANDUS, FREMEAUXIUS, eodemque seculo ad finem vergente, Illustrissimus comes DE HOCHEPIED atque reverendus VAN DER VECHT. Haec auctaria erudite enarravit J. G. TE WATER, V. C. in Appendice Narrationis de rebus Academiae Lugduno-Batavae; Lugd. Bat., apud S. Luchtmans, 8°. 1802. — Quae postea, sive dono sive emtionis jure accesserunt incrementa, illa universe indicata sunt in calcibus Orationum solemnium, annis 1822—1838, a VV. CC., Academiae Lugd. Bat. professoribus habitarum, typisque mandatarum in Annalibus Acad. L. B. annorum illorum; alia denique sed pauciora, memorata sunt in diario: Nederlandsche Staatscourant, anni 1839 n. 96; 1840 n. 64; 1841 n. 22; 1842 n. 10. Ad hos nuncios dum hic nobis remittendum est, aliquid dicendum restat, de tempore et modo quo Graeca potissimum Romanaque monumenta literata, quibuscum nunc nobis res est, insigniter locupletata fuerint. Factum hoc est potissimum intra annos 1820 et 1830, cura duumvirorum ROTTIERSII atque HUMBERTII, peregrinatorum Illustrium, sumtibus vero Regni Neêrlandici, auctore et suasore REUVENSIO V. C. tum temporis cathedrae archaeologicae in hac Academia ornamento. ROTTIERSIUS Graeca potissimum, HUMBERTIUS Latina monumenta advexit. Ille multa, quae peregrinando in

(1) Factum hoc est die 1. m. Aprilis 1738, ut constat ex testamenti PAPENBROEKIANI apographo, in Archivis Curatorum Academiae Lugd. Batavae, VV. AA. asservato.

variis Graeciae oris collegerat monumenta, statuas, anaglypha, vasa picta, aliamque supellectilem, marmora inprimis literata, in Musei commodum vendidit, anno 1820 — 1826. Hic, commorans in *Africae* oris septentrionalibus, perlustratis veterum urbium *Carthaginis* imprimis et *Coloniae Uticensis* ruderibus, quae ibi aut effoderat ipse aut emtione sibi comparaverat, statuas imprimis et lapides literatos, identidem huc misit, additis haud paucis in Italia acquisitis, oriundis ex collectionibus Tulinii, Cimbae et Principum Corazziorum, *Cortonae* olim florentium; annis hoc factum est, 1822 — 1830. Dum autem haec foris agebantur et ab exteris oris accedebant, domi manus non languescebant ociosae. Ex privatorum hominum collectionibus nonnulla coemebantur, ipsaque patria tellus non paucas reddidit Romanae originis reliquias, quae deinceps Museo inferebantur. Longum sit et ab hoc loco alienum singula recensere. Attigisse sufficiat, explorationem antiquariam annis 1826 — 1833 a Reuvensio in villa *Arentsburgia*, *Hagae Comitis* proxima, institutam, quae protulit supellectilem Romanae indolis, non parvi aestimandam, laterculos imprimis et fragmenta lapidum vasculorumque, nominibus et notis, praecipue legionum, vexillationum, figulorum aliorumque insignita, eoque minus suo pretio defraudanda, quo magis cognitionem de Romanorum in his terris degentium vita, moribus, commercio, similibus, augere judiciumque de iis ferendum moderari possunt.

Si quis reputaverit multa monumenta literata Graeca atque Latina antea a viris eruditis, Oudendorpio imprimis et te Watero, immo his temporibus a Boeckhio quoque, descripta aut edita esse, mirabitur fortasse nos non substitisse in superiorum opera, addentes unice illa quae serior aetas Museo intulerit et emendantes quae priores minus accurate tradiderint aut quae ipsorum oculos effugerint. Ita cogitabamus ipsi breviorem illam et faciliorem viam calcare rati, donec accuratior monumentorum indagatio et cum editis plagulis instituta comparatio alia docuissent. Inde vero luculenter patebat, minime supervacaneam operam fore, quotquot Museo adessent Graecas Latinasque inscriptiones omnes, ad normam palaeographicam delineatas edere, iteratis quae editae essent, additis quae ineditae jacerent. Ad editas enim quod attinet, apparebat universe, nullam fere illarum, si palaeographiam spectes, bene proditam esse; nonnullas, quae suspectae, interpolatae aut spuriae essent, habitas fuisse probas, sanas, germanas; mutilatis nonnullis medicinam insanam ad-

1*

hibitam esse; integras vero et sanas, interdum aut secus exhibitas aut infelicius explicatas. Quae observata, ut illas iterandi rationes suppeditabant idoneas, ita accessit anceps quod MAFFEIO auctore de fide inscriptionum Papenbroekianarum per orbem eruditum vulgatum necdum sublatum erat judicium. Hic enim, dum in Museo Veronensi p. CCCCXLIX — CCCCL inscriptionum Papenbroekianarum, quae numero ut ajebat LXX essent, XV ederet — ex apographis, ut videtur quae ipse de monumentis fecerat — haec in titulo posuit: » ex iis — sc. inscriptionibus, quae tum in villa PAPENBROEKII spectabantur — ineditas plures adferre possem, sed recentiori scalpro effictas, veterator aliquis lucro inhians illuc non paucas transmisit et anaglypha quoque ementita." Quod quidem judicium ex nota viri summi hypercrisi dijudicatum atque ex OUDENDORPII descriptione mitigatum, neutiquam vero justa libra exactum et ad severius examen revocatum est. Conatus quidem est MAFFEIUM refellere Jo. C. ORELLIUS, in Collect. Inscc. Latt. I. p. 59 scribens: » de hac fraude nihil subolnit FRANC. OUDENDORPIO in Legati Papenbroekiani descriptione, L. B. 1746. 4, et revera, si forte Graecam ibi datam p. 15 n. 15 excipias, de ceteris inscriptionibus vix dubitari poterit . . . . Quum autem pleraque illa monumenta Batavae originis sint, peregrini aliquid et insoliti MAFFEIO, Italicis maxime assueto, habere videbantur." Sed in his, praeter debitam datamque OUDENDORPIO reverentiam, vix quidquam laudandum videtur. ORELLIUS quidem, ut sola OUDENDORPII descriptione usus, si in judicando lapsus est, habet quo se excuset, attamen MAFFEIUM castigans in contrarium fere errorem incidit; nam plures inscriptiones Papenbroekianae omnino in dubium vocandae sunt, et pleraeque illarum non Batavae sed exterae, immo Italicae sunt originis, ut illum ipsa OUDENDORPII descriptio docere potuisset. Sed de hac OUDENDORPII descriptione ne quis putet nos iniquius sentire, pauca monenda sunt. Nam quum ex nostra editione appareat, non semel, sive in legendis, sive in restituendis enucleandisque inscriptionibus, a viri summi sententia nobis recedendum fuisse, rationes praelibare avemus, quibus OUDENDORPII editio, ubi minus perfecta videatur, excusari debeat.

OUDENDORPIO consilium non fuit, inscriptiones Papenbroekianas edendi, sed universe monumenta a PAPENBROEKIO legata, breviter describendi. Hinc in tractandis inscriptionibus brevior esse debuit, atque adeo ex nostra opinione levior idque sine culpa esse potuisset, quam re vera fuit. Quocirca miramur magis, illum de

ipsis inscriptionibus tam multa tamque bene monuisse, quam non plura eaque meliora tradidisse. Non enim solum, ut verbo dicam, titulos a Gudio, Reinesio, Grutero, Muratorio, aliis ante eum editos, repromsit accuratius atque emendavit; sed nonnullorum etiam auctoritatem et antiquitatem in dubium vocare ausus est; mutilatos restituit, alios suo more, hoc est erudite et feliciter, illustravit expedivitque, atque ad historiam uniuscujusque monumenti non sine labore ex schedis possessorum priorum illa conquisivit, quae ad fidem et momentum inscriptionum melius dijudicanda facere possent. Cogitaverat adeo vir perspicacissimus de tabulis aeri incidendis, quae commentarios suos in clariorem rerum de quibus egisset intelligentiam comitarentur, sed sumtibus parcendum erat, ut docemur ex Prooemio monumentorum descriptioni praemisso. De aetate qua Oudendorpius vixit, palaeographiam minus quam stilum epigraphicum curante, vix monere opus est. Sed illud attendendum, Oudendorpio defuisse illa subsidia antiquaria quae serior demum aetas attulit, sive ex terra effossa sive eruditorum expromta ingenio, studio, industria; quae si cognovisset, nulli dubitamus, quin editionem titulorum Papenbroekianorum procurasset nostra multo meliorem, qualis ad absolutae perfectionis exemplar proxime accessura fuisset.

De causa repetundarum inscriptionum illarum quae post Oudendorpium, te Witteri, Reuvensii, Boeckhii curis prodierunt, parum est quod moneamus. Generalem enim inscriptionum nostri Musei editionem molientibus, illas iterandi officium nobis videbatur incumbere, etiamsi perfectiore forma editae fuissent, quam sunt. Sed illarum nulla, si unam alteramque a Reuvensio editam exceperis, ad palaeographicam normam exacta prodiit. Nonnullarum contra textus vitiis non caret. Quocirca sine damno tabulis excludi non poterant.

Quod ad ineditas attinet, brevissime his Scipionis Maffei verbis responderi posse videtur: »quae publicum praestant bonum, meo judicio publicari oportet"; vid. Museum Veronense, pag. III. — Ex his quae diximus, consilium quod in edendo ob oculos nobis versabatur, partim jam intelligetur. Fuit nimirum hoc, ut Graecas atque Latinas Musei Lugduno-Batavi inscriptiones omnes ea exhiberemus forma, quae a perfectione palaeographica parum distaret, atque ut illas ejusmodi notis illustraremus, quae requiri videbantur ad purgandam materiae copiam eamque paratam sistendam antiquarum literarum amatoribus; liberatam scilicet, a superiorum

editorum erroribus, impostorum fraudibus, interpolatorum commentis, temporum sordibus injuriisque. Quale quidem consilium nec ab instaurati nuper Musei antiquarii dignitate, neque ab officiorum meorum ratione alienum, a Divis vero priorum Manibus magis commendatum quam vetitum esse mihi videbatur. Illud igitur, quo modo exsequi studuerim, dicendum superest. — Sumtibus parcendi causa, ac ne per linguae imperitiam ab artifice forte errores committerentur, ipse mea manu titulos delineavi, delineatos artifex in lapidem ea transposuit cura, qua major ab artificibus vix postulari, raro exspectari potest. Inscriptiones, non ipsa monumenta, edere parantes, monumentorum ipsorum quibus inscriptae essent repraesentationem in Tabulis exhibere praetermisimus, nisi inscriptionis intelligentia illud postulare, aut vacuum quod casu, ut fit, improviso in Tabula superesset spatium, non meliore modo supplendum, suadere videbatur. Non negamus quidem, monumentorum ipsorum delineationem in inscriptionum opere utilitatem habere suam, sed neque illa necessario requiri neque tum congrua nobis esse videbatur, quando, ut nostri officii fuit, impensis parcendum erat. Lubentes itaque facimus cum Bucellio, in Prospectu Univers. Coll. Inscriptionum nov. Veronensis Societatis, scribente: » figurata antiquitas diversum genus a scripta constituit: secus est cur modo unum et alterum in eadem collectione permisceantur"; atque cum Boeckhio, in Praefatione C. I. p. xii, monente: » sic commisceri artium fines et sine caussa libri pretium augeri."

In delineandis corrigendisque inscriptionibus illa a me cura adhibita est, qua factum, ut paucissimi nec nisi leviores errores irrepserint; quibus maculis vix lectorum excusatio imploranda videtur eorum, qui norunt quam difficile sit artifici palaeographiae veteris minus assueto omnem effugere errorem, correctori in tanta inscriptionum copia reprehensionem. Interim Tabula nulla de prelo emissa est, nisi iterata cum archetypo collatione atque non semel propria manu in ipsis lithographi lapidibus instituta correctione. Quod vero incuria peccatum fuerit, in scripto textu religiose reparare studui. In illis inscriptionibus quarum pars detrita erat, hunc morem secutus sum, ut spatium literarum detritarum umbraticis lineolis indicarem, ut quisque in restaurando deperdita, limites cognoscere atque de propositis a nobis supplementis judicare queat. — Sed qui Tabulas cum scripto textu contulerit, nonnullas animadvertet in textu inscriptiones, quibus Tabulae carent,

neque tamen, quoniam ex eodem nostro Museo depromtae sunt, carere posse videantur. Hoc, ne quid negligentia commeruisse videamur, explicandum est. Monumenta, ex quibus illae inscriptiones desumtae sunt, partim ex Aegypto allata partim ex veteris Phoeniciae urbium ruinis effossa, cum propter anaglypha tum propter artis stilum, a consuetis ac germanis Graecorum Romanorumque formis recedentia, interdum adeo cum Aegyptiacis et Phoeniciis conspirantia, in Museo ita posita sunt, ut non classibus monumentorum Graecis et Latinis, sed Aegyptiacis et Phoeniciis annumerentur. Quum autem propositum sit monumenta illa publicis sumtibus edere, ut pars illorum jam in lucem prodiit, tituli Graeci et Latini iis inscripti, Tabulis nostris excludendi erant. Textus tamen ita a nobis potuit recenseri, ut exceptis palaeographicis literarum formis haud multum desideretur.

In conscribenda vero annotatione quam viam ingressus sim, paucis accipe:

1. Monumentorum, cui inscriptiones insculptae essent, brevem descriptionem dedimus, adjecta magnitudinis justa mensura. In qua tamen descriptione breves fuimus, quoniam eatenus tantum monumentorum forma indigitanda videbatur, quatenus illa ad inscriptionis indolem facilius assequendam et melius perspiciendam sufficeret. Ubi vero in descriptione a superiorum scriptorum opinionibus deflectendum erat, non disertis verbis discrimen indicavimus, sed potius illorum scripta excitavimus, unde unicuique id cupienti conferendi atque discrimen observandi opportunitas oblata sit.
2. Originem monumentorum, quatenus explorari illa potuit, et priores possessores editoresque indicavimus; non omnes quidem qui noti nobis erant, sed primarios, quantum ad fidem et auctoritatem monumento conciliandam satis videbatur.
3. De fide titulorum, ubi opus erat, explicatius egimus; semel et iterum fusius, quod inscriptionis momentum postulabat. Dubias vero causas, de quibus expediendis nobis saltem non liquebat, perspicaciorum judicio librandas dilucide exponere studuimus.
4. Textum in Tabulis ad palaeographicam fidem exhibitum, repeti curavimus minusculis literarum formis. Literas exesas atque mutilatas a nobis restitutas, inclusimus uncis angulatis [ ]; quae restaurari a nobis non poterant, indicavimus duobus punctis : vocum denique decurtatarum atque siglarum

Graecarum explicationem, complexi sumus uncis rotundis ( ), Latinarum aliis literarum typis.

5. Superiorum editorum, quotquot exstabant, varias lectiones et conjecturas apposuimus, quatenus illae videbantur facere posse, ad inveniendam aut adfirmandam veram inscriptionis sententiam. Id quod tum imprimis necessarium fuit, quando apparebat, illo tempore quo prior editor scriberet, titulum minus quam hodie detritum fuisse.
6. Explicationes denique breves de locis difficilioribus subinde, sed tanquam parergon, adjecimus, sive depromtas ex superiorum editorum scriptis, editis aut manu exaratis, sive ex nostra qualicunque annotationum silvula.

Commentariis titulos non auximus. Qui nostris temporibus in phalange inscriptionum edendo hoc assequi velit, exitum vix inveniat, etiamsi temporis et eruditionis satis ampla copia adsit. Equidem his minus me fortunatum esse et sentio et confiteor, at quod in aliis omnibus, in praesenti causa minus doleo, quoniam editoris, non commentatoris, in me provinciam susceperim. Utraque autem suos sibi limites habet, quibus circumscripta est. Aliud namque est, puram, quod nos adnitimur, et paratam philologis afferre materiam, aliud illam omnigena literarum doctrina explicare, disponere, condere atque in usum convertere. — Ordo quo singulae inscriptiones recensentur is est in universum, quem monumentorum in ipso Museo expositorum ratio ostendere videbatur, ita ut I°. tituli ex monumentis *politicis*, II°. *sacris*, III°. *sepulcralibus*, IV°. *domesticis* sive ex *varia supellectili* desumti, ponerentur. Observata tamen in genere est haec divisio, qua Graeca a Latinis seorsum et primo loco spectantur. Christianae vero originis inscriptiones in fine singularum classium memoratae sunt. Idem ordo in Tabulis observatus est, quamvis non ubivis ita religiose servari potuerit, ut non interdum in una eademque Tabula diversarum classium tituli repraesentarentur; quod factum est, ut spatium, quod forte in Tabulis superesset, quam minime otiosum relinqueretur. Nonnulli quoque tituli aliter nunc nobis videntur collocandi fuisse, quam tum judicabam, ubi illos lithographo imprimendos tradidi; quod sero emendari posse perspexi. Sed ejusmodi illa sunt, ut iis non in nimis gravem reprehensionem me incursurum existimem. Quod autem in ordine geographico a me non observato lecturis forte obesse possit incommodum, Indice geographico, in calce adjecto, resarcire studui. Alius Index

nomina deorum immortalium et hominum continet; tertius, operis usum faciliorem praestabit. — In his omnibus autem, si quid fuerit in limae stilique cura neglectum, erit autem certo, benevolum literatorum judicium imploro.

Superest ut gratissimum animum significem Viris Amplissimis et Perillustribus, Academiae Lugduno-Batavae Curatoribus, quorum providentiae, liberalitati atque literarum amori debeo, quod inscriptiones tam accurate et pro nostro modulo splendide in publicum emitti potuerunt. Hi enim, largitione honorifica, tantam pecuniae summam concedere non detrectarunt, quanta requirebatur ad inscriptiones lapidi incidendas. Eaque liberalitas tanto majoris profecto aestimanda est, quod sine illa librarius opus imprimendum non recepisset. Gratias igitur dum illis ago habeoque maximas pro insigni hac munificentia, Numen divinum precor, ut ipsis in longam senectam vires conservet et sapientiam inque studia eruditiora propensum animum; quibus excelso amplissimoque suo muneri satisfacientes, illam assequantur tueanturque nominis gloriam, quae resonet virtuti tanquam imago.

Scribebam *Lugd. Batavorum*, in Mus. Antiq.
x Cal. Jan. MDCCCXXXXII.

INSCRIPTIONES GRAECAE.

Compendia scribendi.

Alt. — Altitudo.

Lat. — Latitudo.

Cras. — Crassitudo.

Cub. — Cubitus (Neêrlandicus, Franco-Gallico aequalis).

C. I. — Corpus Inscriptionum Graecarum A. Boeckhii.

R. — Reuvensii annotatio manu scripta.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS POLITICIS.

TAB. I.

In cippo marmoris Hymetti oblongo, quem in ruderibus pagi Aexonensium, ad viam Sunii, anno 1819 repertum, huc transmisit Ill. ROTTIERSIUS. Edidit BOECKHIUS C. I. n. 93. ex apographo REUVENSII, collatis tamen apographis PITACII et NIEBUHRII, cff. C. I. p. 345 et 899; ejusdemque mentionem fecerunt MEIJERUS et SCHÖMANNUS, der Attische Process; Halae Saxonum 1824. 8°. p. 530. — Alt. 1; lat. 0,41; crass. 0,10 cub.

Κα(τὰ) τάδε ἐμίσθωσαν Αἰξωνεῖς τ[ὴ]ν [Φε]λλεῖδα
Αὐτοκλεῖ Αὐτίου καὶ Αὐτ[ε]ᾳ̈ Αὐτοκλέους τετ-
ταράκοντα ἔτη, ἑκατὸν πεντήκοντα δυοῖν δρ-
αχμῶν ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἐφ' ᾧτε καὶ φυτε-
5 *ύοντα καὶ ἄλλον τρόπον [ὃν] ἂν βού[λ]ωνται, τὴν δ-*
ὲ μίσθωσιν ἀποδιδόναι τοῦ Ἑκατομβαιῶνος μη-
νός, ἐὰν δὲ μ[ὴ] ἀποδίδωσιν, εἶναι ἐνεχυρασίαν Αἰ-
ξωνεῦσιν καὶ ἐκ τ[ῶ]ν ὡραίων τῶν ἐκ τοῦ χωρίου καὶ
ἐκ τῶν ἄλλων ἁπάντων τοῦ μὴ ἀποδιδόντος, μὴ ἐ-
10 *ξεῖναι δὲ Αἰξωνε[ῦ]σιν μήτε ἀποδόσθαι μήτε μισ-*
θῶσαι μηδενὶ ἄλλῳ, ἕως ἂν τὰ τεττάρακοντα ἔτ-
η ἐξέλθῃ, ἐὰν δὲ πολέμιοι ἐξείργωσι ἢ διαφθείρ-
ωσί τι, εἶναι Αἰξωνεῦσιν τῶν γενο[μ]ένων ἐν τῷ χ-
ωρίῳ τὰ ἡμίσεα, ἐπειδὰν δὲ τὰ τετταράκοντα ἔτη
15 *ἐξέλθῃ, παραδοῦναι τοὺς μ[ε]μισθωμένους τὴν ἡμ-*
ισέαν τῆς γῆς χέῤῥον καὶ τὰ δένδρα ὅσ' ἂν ᾖ ἐν τῷ χ-
ωρίῳ, ἀμπελουργὸν δ' ἐπάγειν Αἰξωνέας τοῖς ἔτεσ-
ι τοῖς τελευτα[ί]οις πέντε, χρόνος ἄρχει τῆς [μ]ισθώ(σεως)

τοῦ δημητρίου καρποῦ Εὔβουλος ἄρχων, τοῦ δὲ ξυλί[ν]-
20 *ου ὁ μετ' Εὔβουλον, τὴν δὲ μίσθωσιν ἀναγράψαντας [ε]-*
ἰς (σ)τήλας λιθίνας τοὺς ταμίας τοὺς ἐπὶ Δημοσθένου-
ς δημάρχους στῆσαι τὴν μὲν ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥβης ἔν-
δον, τὴν δ' ἐν τῇ λέσχῃ καὶ ὅρους ἐπὶ τῷ χωρίῳ μὴ ἔ-
λαττον ἢ τρίποδας ἑκατέρωθεν δύο, καὶ ἐάν τις εἰσ-
25 *φορὰ ὑπὲρ τοῦ χωρίου γίγνηται εἰς τὴν πόλιν, Αἰξωνέ-*
ας εἰσφέρειν, ἐὰν δὲ οἱ μισθωταὶ εἰσενέγκωσι, ὑπολο-
γίζεσθαι εἰς τὴν μίσθωσιν, τὴν δὲ γῆν τὴν ἐκ τῆς γεω-
ρυχίας μ[ὴ] ἐ[ξ]εῖναι ἐξάγειν μηδενὶ ἀλλ' ἢ εἰς αὐτὸ τὸ χ-
ωρίον, ἐὰν δέ τις εἴπῃ ἢ ἐπιψηφίσῃ παρὰ τάσδε τὰς σ-
30 *υνθήκας, πρὶν τὰ ἔτη ἐξελθεῖν τὰ τετταράκοντα, εἶν-*
αι ὑπόδικον τοῖς μισθωταῖς τῆς βλάβης. Ἐτεοκλῆς
Σκάωνος Αἰξωνεὺς εἶπεν, ἐπειδὴ οἱ μισθωταὶ τῆς Φιλ-
λεῖδος Αὐτοκλῆς καὶ Αὐτέας συγχωροῦσιν ὥστε ἐκκό-
ψαι τὰς ἐλάας [Α]ἰξωνεῦσιν, ἑλέσθαι ἄνδρας, οἵτινες
35 *μετὰ το[ῦ] δημάρχο[υ] καὶ τῶν ταμιῶν καὶ το[ῦ]μισθωτο[ῦ] ἀπ-*
οδώσονται τὰς [ἐ]λάας τῷ τὸ πλεῖστον δ[ι]δόντι, τοῦ δὲ
εὑρόντος ἀργυρίου λογισάμενοι ἐπὶ δραχμῇ τὸν τό-
κον, τὸν ἥμισυν ἀφελεῖν [ἀ]πὸ τῆς μισθώσεως καὶ ἐγγ-
ράψαι ἐν ταῖς στήλαις τοσούτῳ ἐλάττω τὴν μίσθωσιν,
40 *τοῦ δὲ ἀργυρίο[υ] τῆς τιμῆς τῶν ἐλαῶν λαμβάνειν Αἰξων-*
έας τὸν τοκόν, τὸν δὲ πρι[ά]μενον τὰς ἐλάας ἐκκόψαι, ἐ-
πειδὰν Ἀνθί[α]ς τὸν καρπὸν κομί[σῃ]ται τὸν μετ' Ἀρχία-
ν ἄρχοντ[α] πρὸ τοῦ ἀρότο[υ], καὶ μύκητας καταλιπεῖν μὴ
ἔλαττον [ἢ] ταλαντιαίους ἐν τοῖς περιχυτρίσμασιν, ὅ-
45 *πως ἂν αἱ ἐλ[άα]ι ὡς κάλλι[σ]ται καὶ μέγισται γίγνωντα[ι]*
ἐν τούτοις τοῖς ἔτεσι, οἱ δὲ ᾑρέθησαν ἀποδόσθαι τ[ὰ]-
ς ἐλάας Ἐτεοκλῆς, Ναύσων, Ἀγνόθεος.

Errores quadratarii et recensionis C. I. **— Vs. 1. ΦΙΛΛΕΙΔΑ C. I. Vs. 4. ΕΦΩΤΕ C. I. Vs. 22. ΔΗΜΑΡΧΟΥ C. I. Vs. 28. ΕΙΞΑΓΕΙΝ, error quadratarii in C. I. non notatus; ΜΗΔΕΜΙ(ᾳ) C. I; ΕΣ C. I. Vs. 32. ΕΙΠΕΝ, error quadratarii in C. I. non notatus; ΦΙΛΛΕΙΔΟΣ C. I. Vs. 38. ΗΜΥΣΥΝ, error quadratarii in C. I. non no-**

tatus. Vs. 44. deëst H in transscriptione C. I. Vs. 45. ΓΙΓΝΩΝΤΑΙ C. I. Vs. 46. deëst ΟΙΔΕ in transscriptione C. I., sed defectum restituit editor, C. I. p. 898.

Erroribus quadratarii non tribuendum videtur, quod vs. 1 legitur: ΚΑΤΑΔΕ pro ΚΑΤΑΤΑΔΕ; vs. 17. ΔΕΠΑΓΕΙΝ pro ΔΕΕΠΑΓΕΙΝ; vs. 20—21. ΕΙΣΤΗΛΑΣ pro ΕΙΣΣΤΗΛΑΣ et vs. 23. ΤΗΝΔΕΝ pro ΤΗΝΔΕΕΝ. Hae enim voces, prout usus loquendi aut pronunciandi tulerit, concrevisse videntur. Ita vs. 20—21. ΕΙΣΤΗΛΑΣ vitium non esse, nos jam docuerat Boeckhius, l. c. p. 133. Utrum vero quadratarii incuriae an stili epigraphici inconstantiae, ut Boeckhius judicavit, tribuendum sit, quod nonnullis locis Ο pro ΟΥ scriptum legitur, sc. vs. 35. ΤΟΥ ΔΗΜΑΡΧΟ et ΤΟ ΜΙΣΘΩΤΟ et vs. 40. ΤΟΥ ΔΕΑΡΓΥΡΙΟ, dubius haereo.

Titulus continet locationem, Archonte Eubulo (Olymp. 108, 4) factam, qua Aexonenses fundum, Phelleida dictam, locant Autocleo cuidam ejusque filio Auteo in XL annos, mercede in singulos annos CXLII drachmis. — Remittimus ad ea, quae Boeckhius ad hunc titulum illustrandum disputavit, quibuscum tamen conferantur similes tituli ab eodem exhibiti in opere: Staatsh. der Ath. T. II. p. 336 et 338, et titulus Aexonensis simul cum nostro effossus, in C. I. n. 214. cf. p. 176. repetitus in Franzii Elem. Ep. Gr. p. 173 n. 68. In posteriore hoc titulo vs. 8 et 25, Nausonis nomen occurrit, qui idem esse videtur ac noster vs. 47 memoratus.

Difficultas, quae in nomine fundi vs. 1, ex recensione Boeckhiana superest et in qua expedienda C. I. 93 frustra laboravit vir eruditus, eatenus sublata dici potest, quod non ΦΙΛΑΕΙΔΑ sed ΦΕΛΛΕΙΔΑ in lapide legitur, id quod dolemus in Tabula nostra non satis bene expressum esse. Boeckhius autem, ut vs. 38 recte scripsit ΦΕΛΛΕΙΔΟΣ, ita postea, schedis Niebuhrii usus, vs. 1. ΦΕΛΛΕΙΔΑ tanquam meliorem lectionem proposuit; vid. C. I n. 214. ΦΕΛΛΙΣ sc. γῆ nota est ex Polluce I. 227; de vi vocis vid. Ruhnken. ad Tim. p. 269. not. 5.

Vocem ΤΑΛΑΝΤΙΑΙΟΥΣ vs. 44, Boeckhius ut absurdam lectionem rejecit et felici conjectura pro illa restituit ΠΑΛΑΣΤΙΑΙΟΥΣ, explicans: » palmi altitudine trunci super terra relinquendi sunt: palmus est παλαιστή, sive meliore scriptura παλαστή, quam commendat Pollux, praebent acta curatorum templi Poliadis (n. 160), et hac mensura in olearum plantatione, docenda haud raro utuntur Geoponicorum scriptores, ut IX, 10 et 11."

Obstat tamen huic conjecturae, quod in lapide diserte legitur ΤΑΛΑΝΤΙΑΙΟΥΣ, mirumque videtur vocem, ex qua multum pendeat, in documento publico non emendatam esse, si quadratarius erraverit. Nihilominus Boeckhii emendationem amplectimur quoniam, levissima et facile praetervidenda mutatione, vox in tali rerum nexu usitata efficitur atque insolens est ΤΑΛΑΝΤΙΑΙΟΥΣ in aestimandis arboribus et surculis. Accedit quod plures quadratarii errores in titulo deprehenduntur.

De templo Juventae, vs. 22 — 23 memorato, cujusque etiam mentio fit in alio decreto Aexonensi C. I. n. 214, judicavit, qui lapidem huc transmisit Rottiersius, illud eodem loco stetisse, ubi lapis inventus est, » quoniam illo loco tam ingens antiquarum ruderum copia reperiatur": quod confirmari possit nuncio Dodwelli, Tour in Greece I. p. 557, scribentis, Aexone, ad occidentem Hymetti sito, partem cellae templi reliquam esse. De Aexonensibus et varia nominis scribendi ratione cf. Ruhnken. ad Tim. p. 15. not. 14.

Quod attinet ad palaeographicam literarum formam, haud levis observatur scribendi inconstantia in formis literarum Α, Γ, Δ, Σ, Τ, Υ, ex festinante, ut videtur, stilo explicanda. Hinc repetendae imprimis videntur rariores literarum formae Ε, Σ et Υ, quarum prior a litera Ξ, posterior a ψ cursiva subinde nihil differt.

TAB. II.

In cippo oblongo marmoris Hymetti ex *Smyrna* oriundo. Edidit, sed parum accurate, Hesselius in App. Praef. ad antiq. Inscc. Gudii, Leovard. 1731. N. XI; ejusdemque mentionem fecerunt Corsinus de Nott. Grr. p. 65; P. Burmannus in annot. ad J. Ph. d'Orvillii Sicula, Amstelod. 1764. fol. 510 — 541 et Boeckhius, Staatsh. der Ath. T. II. p. 186.

1 *[Κρ]ά[τιππος : : : : : α σ[τ]ατ[ῆ]ρας Δ. Ἀρισ :*
Πυθάγορ[ας Διο]κρινου στατῆρα[ς] 𐅄. Ε[π] :
Διονύσιος Ἀ[π]ολλοφάνου στατῆρας ΔΔ. Δι :
στατῆρας Δ. Διωφάνης Λαμπροῦ στατ[ῆ]ρας Δ. [Δ] : : : : : : : : : : : : : : : :
5 *στατῆρας Δ. Διονύσιος Ἀπελλίωνος : στατῆρας ΔΔ : : : : : : : : : : : :*
Μνησιλόχο[υ] στατῆρας ΔΔΔ. Μνησίλοχος Ἀνδροσθένου σ[τατῆρας] : :

Ἴων Ἀλεξάνδρου στατῆρας 𐅄 Πουλυδάμας Πρυτανίο[υ καὶ οἱ ἀδελ]-
φοὶ στατῆρας 𐅄 Μενεκράτης Ἀσπασίου στατῆρας Δ. Ἐτ[εοκλῆς] : : :
[κ]λείους στατῆρας Δ. Περιγένης Ἡγήμονος, στατῆρας, 𐅄: : : : : : :
10 *Λεωμέδοντος στατῆρας ΔΔ. Μικίων Μητροδώρου στατ[ῆρας] : : : : : :*
Θαρσύνων Πολυχάρμου στατῆρας Δ. Ἄρχιππος Πολέμονο[ς] : : : : : : :
Δημοκρίνης Ἡρακλείτου στατῆρας Δ. Ἡγήσαρχος Θευγνήτου στατῆρας [Δ]
Ἱππόνικος Πυῤῥίου στατῆρας Δ. Ἡγῆναξ Ἑρμοδρόμο[υ] στατῆρας 𐅄 Ἡπειρ[ο]-
κλῆς Μενεκλέους στατῆρας ΔΔ. Σαννίων καὶ Τείσανδρος Τωΐλου στα-
15 *τῆρας Δ 𐅄 Ἀπολλοφάνης Σπερχύλου στατῆρας 𐅄 Κράτης χάρμου στατῆ-*
ρας 𐅄 Μητίοχος Εὐθυμάχου στατῆρας 𐅄 Δῆμος Μύρμηκος ὑπὲρ αὐτοῦ
καὶ Λάμπρου τοῦ Ἀριστομένου στατῆρας ΔΔΔΔ. Ἄδραστος Καλλίππου
στατῆρας Δ. Δηϊλέων Μενεκλέους τοῦ Δηϊλέοντος στατῆρα[ς] ΔΔ.
Θεοτιμίδης Εὐδημίδου καὶ Ἀγαθοκλῆς Κλεονίκου στατῆρας Δ. Κλεώνυ-
20 *μος Δημοφῶντος στατῆρας Δ. Λεωμήστωρ Εὐστρατίδο[υ] στατῆρας [𐅄*
Πύθαρχος Ἱστιαίου στατῆρας Δ. Μητρότιμος Ἀπολλωνίδου στατῆρα[ς]
𐅄 Λυσίστρατος Πόλυος στατῆρας ΔΔ. Νικόστρατος Ἑρμησιάνακτο[ς]
στατῆρας ΔΔΔ. Μένων Ἀλκιβιάδου στατῆρας ΔΔ. Μνησιθείδη[ς] Ἕλλη-
νος στατῆρας Δ. Κριτόλεως Αἰγιάλεως στατῆρας ΔΔ. Ἀπολλόθεμις
25 *Πυθεῦ στατῆρας 𐅄 Ἱκέσιος Λεωφάντου στατῆρας 𐅄 Φίλων Ξενιάδου*
στατῆρας 𐅄 Μικίων Μητροβίου στατῆρας 𐅄 Ἀντίλοχος Θαλεῦ στατῆρα[ς]
𐅄 Κριτόλεως Λεωστράτου στατῆρας ΔΔ. Ἐλαιούσιος καὶ Ὀλυμπιό-
δωρος Θευπροπίδου στατῆρας ΔΔΔ. Σκύμνος Ἐρξάνδρου στατῆ-
[ρ]ας Δ. Κωλώτης Θευξενίδου στατῆρας ΔΔ. Ἱκέσιος Ἁγνίου στατῆρας
30 *𐅄 Ἡράκλειτος καὶ Ἀρίφρων Μέντορος στατῆρας ΔΔ. Μητρόδωρος*
[Μ]ητροβίου στατῆρας 𐅄 Παυσανίας Μόσχου στατῆρας ΔΔ. Ἱππίας Ἰσχο-
μ[ά]χ[ο]υ στατῆρας 𐅄 Μητρόβιος Ποσιδέου στατῆρας ΔΔΔ. Ἀρτεμίδωρ[ος]
Διοσκουρίδου στατῆρας Δ. Ὀρκύνιος Μητροδώρου στατῆρας 𐅄
Ὀλυμπιόδωρος Ἁγνίου στατῆρας 𐅄 Λάμπρος Μητροδώρου στα-
35 *τῆρας ΣΣ. Ξάνθιππος Πυθοκλέους στατῆρας, ΣΣ. Παρμέν[ι]σκος*
Ζωπύρου στατῆρας 𐅄 Πρωτογένης Μοίριος στατῆρας Δ.
Μικίων Ἀγαθήνορος στατῆρας, ΣΣ. Ἀπολλόδωρος Ποσειδονίο[υ]
στατῆρας, ΣΣΣ. Ἑρμη[σ]ιάναξ Ἑρμησιάνακτος στατῆρας Δ. Ἑρμοκ[ρί]-
της Μητρώνακτος, στατῆρας Δ. Πανταλέων Βακχίου στατῆρας, Δ.
40 *Ἀπολλωνίδης Σιμά[λ]ου στατῆρας 𐅄 Λυσιμαχίδης Γόρ[γ]ου στα-*

τῆρας ΔΔ. Ἀπολλοφάνης Νικίου καὶ οἱ ἀδελφοὶ στατῆρας ⊓. *Ἀ[να]-*
ξάγορας Αἴσχρου στατῆρας [Γ]. *Δικαιίδης Κυνίσκου στατῆρας* [Γ].
Ἁγνίας Μόσχου καὶ Μοσχίων Παρμένοντος στατῆρας [Γ].
Πυθάγο[ρ]ας Σπερχύλου στατῆρας Δ. Θεαρίδης καὶ Πλούταρχο[ς]
45 *Ἱππονίκου στατῆρας Δ. Πέρσης Ἱππίου στατῆρας Δ.*
Ταῦτα ἀποδίδοται.

Varietas lectionis ex HESSELII Appendice Praefationis ad Autiq. Insc. GUDII, Leovard. 1731. fol. N°. XI. Vs. 1. ΚΡΑΤΙΠ - - ΑΣΤΑ cet.; ex quo supplevimus [κρ]α[τ]ι[ππος]. Vs. 2. ΕΠ. Vs. 7. ΟΥΑΥΔΑΜΑΣ perperam pro ΠΟΥΑΥΔΑΜΑΣ. Vs. 9. ΔΕΤΕ. Vs. 11. ΠΟΛΕΜΟΜΟΣ ΣΤΑΤ. Vs. 12. ΗΓ[ΗΣΑΡΧΟΣ, lineola transversa in lapide deest. ΘΕΥΓΝΗ ΤΟΥ ΣΤΑΤΗΡΑΣ Δ. Vs. 13. ΣΤΑΤΗΡΑ, perperam pro ΣΤΑΤΗΡΑΣ; ΗΠΕΡΟ, perperam pro ΗΠΕΙΡΟ. Vs. 18. ΣΤΑΤΗΡΑΣ ΔΔ ΗΙΛΕΩΝ, perperam pro ΣΤΑΤΗΡΑΣ Δ : ΔΙΗ-ΛΕΩΝ. Vs. 20. ΣΤΑΤΗΡΑΣ. Vs. 21. ΠΥΘΑΡΚΟΣΙΣ ΤΙΑΙΟΥ, perperam pro ΠΥΘΑΡΧΟΣ ΙΣΤΙΑΙΟΥ. Vs. 25. |ΠΑΙΘΕΥ|, perperam pro ΠΥΘΕΥ. Vs. 26. ΑΝΤΙΑΟΧΟΣ. Vs. 28. ΔΩΡΩΣ, perperam pro ΔΩΡΟΣ; ibidem ΕΡΞΑΝΔΡΟΥ. Vs. 38. ΕΡΜΗ⁝ΙΑΝΑΞ, perperam pro ΕΡΜΗΣΙΑΝΑΞ; ibidem ΕΡΜΟΚΡ. Vs. 40. ΣΙΜΑ¦ΟΥ, perperam pro ΣΙΜΑΛΟΥ. Vs. 42. ΔΙΣΧΡΟΥ, perperam pro ΑΙΣΧΡΟΥ. Vs. 43. ΣΤΑΤΗΡΑΣ Γ, perperam pro ΣΤΑΤΗΡΑΣ. Denique in ipso lapide vs. 41 perperam legitur ΝΙΚΙΟΣ pro ΝΙΚΙΟΥ.

Lapidem, anno 1817 repertum sub fundamentis parietis cujusdam domus Santhorstianae prope *Harlemum* sitae, a fabro, qui rudera emerat, redemit REUVENSIUS atque dono dedit Curatoribus Acad. Lugd. Bat. ut Legato Papenbroekiano accederet; quod factum est d. 10 Oct. 1818. Locus, ubi effossus est lapis, eum suspectum reddere possit, nisi constaret, domum *Santhorstianam* aliquando in possessione fuisse BURMANNI SECUNDI, qui in annotatione ad J. PH. D'ORVILLII Sicula, Amstelod. 1764. fol. 540—541, docuit, illum ex *Smyrna* oriundum, partem olim effecisse collectionis suae antiquariae. HESSELIUM minus emendate titulum edidisse jam ante nos viderat BURMANNUS. BURMANNUS recte inscriptionem accenset sumtuum rationariis; sic ille: »---ςατῆρας, seu rationes pecuniae contributae in publicos, ni fallor usus ab illis, quorum adscripta habentur nomina, quod tamen expeditius fuisset, si superesset principium inscriptionis." Ablegat ad HESSELII editionem et CORSINUM, l. c.; sed nec HESSELIUS, nec CORSINUS ad tituli expli-

cationem quidquam contulerunt. Hesselius l. c. donaria templo donata lapide prodi existimavit.

Quoniam a superiore lapidis parte vix una et altera lineola abesse possunt, inscriptio illis accensenda esse videtur, quae per plures lapides continuari solent; vid. Boeckhius, Urkunden über das Attische Seewesen, p. 1. seq. sed quia principium tituli, quod consilium catalogi sine dubio continuit deest, de *soluta pecunia* nihil constat. Similes tamen catalogos vide ap. Boeckh. Staatshaushalt. der Ath. Tab. VI. N° xvi. Tom. II. p. 334; Dodwell. Travells II. p. 507 et cff. tituli Smyrnenses quos ex C. I. n. 3140, 3144, 3148 excitavit Franz. l. c. p. 327, qui tamen tituli nondum in lucem editi a nobis consuli non potuerunt. Ex Boeckhii Navalibus N°. xvi. b. 125. (cf. p. 49) discimus, τοῖς ἐπιμεληταῖς τῶν νεωρίων injunctum quoque fuisse nomina in catalogum eorum referre qui debita solvissent.

Forma nominum nonnullorum docet titulum Ionica dialecto scriptum esse, vid. v. c. vs. 6. Πουλυδάμας pro Πολυδάμας; vs. 12. Θευγνήτου pro Θεογνήτου; vs. 19. Θευτιμίδης pro Θεοτιμίδης; vs. 24. Κριτόλεως pro Κριτόλαος; vs. 26. Θάλευ pro Θάλου; vs. 28. Θευπροπίδου pro Θεοπροπίδου; vs. 29. Θευξενίδου pro Θεοξενίδου.

Novem vel decem nomina et quinque staterum summae excidisse videntur. Staterum numerus, qualis nunc in lapide exstat, est MLV, solutus a LXXIII hominibus. Hic numerus, si staterem tetradrachmo sive CXXXII centesimis Neêrlandicis aequalem censeas (cf. Boeckh. Staatsh. der Ath. Tom. I. p. 16), summam efficit MCCCLXXXXII florenorum et LX centesimarum Neêrl.

In notis numeralibus una est, quae quantum scio, in alio lapide non reperitur, sc. ΠΣ quae decies quater recurrit. Hanc Corsinus, Hesselii editione usus, per πεντηκόσια explicavit, non alia auctoritate, ut existimo, quam quod perperam legit ΠΗ. Sed notam illam *quinque stateres* interpretandam esse, non immerito nobis conjecisse videmur. Literam Π *quinque* significare dubio caret, et literam Σ ipsi inscriptam collectivo sensu *staterem* indicare ideo existimaverim, quod simili modo litera T interdum accipienda est, quando scilicet literae Π inclusa est, (ΠΤ) quo significantur *quinque talenta*. Accedit quod litera Σ tanquam unius stateris nota sive signum, in ipso hoc catalogo vs. 35, 37 et 38 legitur, cf. C. I. n. 144 et Staatsh. der Ath. Tom. II. p. 186. Illam autem notam ΠΣ minus significare quam *decem*, sponte patet ex eo, quod vs. 15 numerus *quindecim staterum* hoc modo scriptus legitur Δ ΠΣ;

quocirca sic nobis computandum esse videtur: Π × Σ (i. e. *unus stater*) = *quinque stateribus*. Objici possit, quidni, si numerus *quinque* (*staterum*) scribendus esset, magis usitatam rationem scriba secutus fuerit, simpliciter scribendo Γ, sine litera Σ inclusa. Ad quam quaestionem solvendam equidem nihil habeo. — In formis literarum hujus catalogi parum inconstantiae observatur, si exceperis literam Σ, quae nunc vetustiore nunc recentiore forma sculpta est. Contorta vs. 25 vocis ΠΥΘΕΥ forma orta esse videtur ex eo, quod quadratarius antea perperam ΕΥ scripserat. Si ex literarum conditione palaeographica de tituli aetate statuere liceret, illum a medio seculo II ad medium seculum III ante aeram nostram referrem. Litera Ξ, quae saepius recurrit, circa Ol. 107—110 non usitata fuisse videtur, monente Boeckhio C. I. n. 155. p. 247ᵃ. Litera Γ, inaequalibus pedibus sculpta, adhuc reperitur in lapide Theraeo Musei Parisini, posito in honorem Ptolemaei VI circa annum 160 a. C. n.; vid. Franz. Elem. Ep. Gr. n. 85. p. 220; forma Π aliquot demum annis ante Ol. 135 usitata esse videtur, vid. C. I. n. 1590. Ceterum de rationibus et tabulis rationum publice proponendis vid. Boeckh. Staatsh. d. A. Tom. I. p. 203 sq. et p. 211 seq.

TAB. III.

1. In fragmento marmoris albi, *Athenis* in ruderibus Acropolis reperti, ut retulit qui illud anno 1825 huc misit Rottiersius. Est sua magnitudine in tabula depictum; crassitudinem vero habet 0,055 Cub. Neërl.

Σώστρατου

[Ἔ]δοξεν τῇ [β]ουλῇ καὶ [τῷ δ]ήμῳ·
[Τ]ηλέμνηστος Ἀριστε[ίδου εἶ]πεν·
[Ἐ]πειδὴ [Σ]ώστρατος Μουσ[αίου Συρα-
5 [κ]όσιος ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν διατελεῖ [πε-
ρὶ τ]ὸ ἱερὸν κα[ὶ] τὸν δῆμον τὸν Δηλ[ί]-
[ων] καὶ χρείας παρέχεται καὶ κοινῇ
[τῇ πό]λει καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυγ[χάνουσιν
αὐτῷ] τῶν πολιτῶν εἰς [ὃ ἄν τις αὐ-
10 τὸν πα]ρακαλῇ περὶ Δ[ήλου], δεδό-
[χθαι τῇ βουλ]ῇ κ[αὶ] τῷ [δήμῳ ἐπαινέ-
σαι Σώστρατον Μ]ουσ[αίου

Lapis valde detritus est et ita mutilus, ut vix tertia pars inscriptionis superesse videatur. Titulum esse Delium, in honorum SOSTRATI cujusdam de Deliis optime meriti positum liquet, nec quidquam amplius. Esse tamen debet *Deli* liberae, ante Ol. 153. Cff. similes lapides Delii, in marmoribus Oxon. n. 156 et 158, C. I. n. 2267 et 2268. Si ex sola palaeographica literarum forma de tituli aetate judices, illum Ol. 153 non multum excedere censeas. De SOSTRATO atque de [T]ELEMNESTO nihil compertum habemus. [T]ELEMNESTVM (ΤΗΛΕΜΝΑΣΤΟΝ), nostro fortasse aequalem, laudavit POLYBIUS L. XXXIII. 15 edit. Schweigh. Non constat, quo tempore atque modo Delius hic titulus *Athenas* (ubi repertus dicitur) sit delatus.

TAB. IV.

1. In fragmento marmoris albi, quod anno 1825 ex insula *Delo* huc transmisit ROTTIERSIUS. — Alt. 0,19; lat. 0,25 Cub. Neèrl.

: : : : : : : : : : : : [νις] : : : [συ]μπ[ρόεδροι] *sic*
: : : : : : : : [ἔδο]ξεν τῇ βουλῇ
[Παιανι]εὺς εἶπεν· ἐπειδὴ
διατρί[β]ων π[α]ρὰ τ[ῷ βα]σιλεῖ Δημητ[ρίῳ]
5 : ε]ως καὶ τιμῆς τυ[γχά]νων παρ' αὐτ[ῷ]
κοινῇ τε πᾶσι[ν] 'Αθηναίοις καὶ τοῖ[ς]
τοῦ δήμου πρὸς τὸν βασιλέα Δημήτριο[ν]
: υτο[ν] εἰς πᾶν τὸ σύμφερον τῷ δ[ήμῳ]
: : : ιαν ἑκάστῳ 'Αθηναίων τῶν πα[ρ' αὐ]-
10 : : : : ν εἰς πάντα προθύμως ἐπὶ δ[η : : :]
: : : : ἀ]κόλουθα πράττειν τῇ τοῦ πατρ[ὸς]
: : : : ς 'Αθηναίους ὑπαρξάσῃ εὐνοίᾳ[: :]
: τῷ ὑπὸ πα[τ : :]
: [νου?] : : : :

Titulum hunc, a parte sinistra atque inferiore perquam mutilum, frustra restituere conati sumus. Liquet tamen illum positum esse in honorem legati cujusdam Atheniensium, ad regem DEMETRIUM missi, de rebus Atheniensium bene meriti ipsique DEMETRIO accepti. Hinc de aetate catenus constare videtur quod positus fuerit

inter Ol. 118. 2 — 123. 2, i. e. ab eo tempore quo *Athenae* primum per DEMETRIUM (Poliorcetam) liberatae sunt, usque ad tempus quo per PYRRHUM DEMETRIUS tyrannus profligatus est; vid. CLINTON Fasti Hell. II. 172 et 84, et scriptores ibi excitati. Ex illo certe tempore est, quo DEMETRIUM Athenarum victorem Athenienses honore aut timore prosequebantur. Conferatur psephisma ejusdem DEMETRII, in Acropoli prope Parthenonem erutum, relatum primum a PITTAKISIO, in 'Εφημ. 'Αρχ. 1838. n. 41. restituto vero et explicato a CLARISSIO in: Allocut. ad Sodales φιλομαθεῖς, Lugd. Bat. 1840 8°. Formae quidem literarum Α, Θ et Σ in titulis illius aetatis minus consuetae sunt, neque conveniunt cum literis psephismatis laudati (cf. etiam 'Εφημ. 'Αρχ. 1838. n. 56); verumtamen exstant tituli nonnulli his literis praediti, qui illa adeo aetate vetustiores sunt.

Quoniam vix credi potest titulum Atticum *Deli* erutum esse, suspicari licet, illum olim per errorem permutatum esse cum titulo Tab. III. 1. qui *Athenis* repertus dicitur, sed verosimiliter *Delo* oriundus est.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS SACRIS DESUMTAE.

2. In lamina marmorea *Rhodo* oriunda atque a ROTTIERSIO anno 1826 huc missa. Jacuerat, ut refert ROTTIERSIUS in nota ms., diu proxime monasterio Franciscanorum quod est in confiniis *Rhodi*. Ediderunt CLARCKIUS, Travells, T. III. p. 285; HAMMERUS, Topogr. Ans. der Levante, p. 163. n. 14; cf. Tab. IV. et p. 79 in nota; REUVENSIUS in diario: Classical Journal, N°. LXIX. p. 123 et BOECKHIUS C. I. n. 2526. — Alt. 0,245; lat. 0,42 Crass. 0,09 Cub. Neërl.

Ξήνων Ναούμου
'Αράδιος πρόξενος
Διὶ Σωτῆρι

Varietas lectionis. Vs. 1. ΞΗΝΩΝ, CLARCKIUS et C. I. n. 2526, ubi BOECKHIUS perperam arbitratur REUVENSIUM, Ξ retinentem, deceptum esse. ΝΑΟΥΝΟΥ, CLARCKIUS l. c.

REUVENSIUS l. c. sic primus recte interpretatus est: *Xenon*, *Naümi F.* || *ab Arado*, *patronus* (s. *Proxenus*) || *Jovi Servatori.* Aradios inter et Rhodios commercium fuisse, vel inde patet quod, uti jam annotavit REUVENSIUS, l. c. CALLIAS, architectus *Aradius*,

Rhodiis in obsidione Demetrii Poliorcetae operam promisit, ut memorat Vitruvius X. 22. » Hic igitur Zeno, inquit Boeckhius, haud dubie Rhodi negotiatus est, et ob faustam navigationem donavit donarium." Quod quale fuerit, non constat.

Ξήνων non magis quam Ναχίμων Graecae est consuetudinis. Sed quoniam et *Aradus* urbs peregrina (Phoenicia) est et *Nahum* nomen peregrinum (Phoenicium), Ξήνων, nomen proprium, ut peregrinum accipere licet; de qua Phoenicia hujus atque Ναχυμων nominis origine primus cogitavit Reuvensius l. c. *Osannus* parum circumspecte in Syll. Inscc. Grr. fol. 315 adfirmat, Ξήνων legi in titulo Attico Chandleri p. 61 (p. 68) N°. LXII, ibi enim Ζήνων et Ξένων, non vero Ξήνων scriptum est; sed vide num Ξήνων legatur in alio lapide votivo, *Athenis* reperto, cujus inscriptionem ex schedis Fourmonti sic exhibuit Osannus, l. l. ΒΕΝΔΙΔΩΡΑ ΞΗΝΩΝΟΣ || ΘΥΓΑΤΗΡ ΕΥΞΑΜΕΝΗ || ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΤΗΙ ΘΕΩΙ, ubi Boeckhius C. I. n. 496. iisdem schedis usus, legere mavult ΖΗΝΩΝΟΣ. Bendidora origine partim Thracicum est, a *Bendide* Diana oriundum (de cujus deae sacris, Βενδίδεια dictis et Athenis etiam receptis, vidd. quos laudant Ruhnken. ad Tim. p. 62. 11. et F. Creuzer, Symbolik, Tom. II. p. 129 seq.), partim Phoenicium, opinor, a ΔΩΡΑ notissimo urbis Phoeniciae nomine. — De aetate nostri tituli nihil compertum habeo; ita ut definire inter Ol. 94. 2. et paullo post Ol. 158, non ausim.

3. In lamina marmoris albi sed quodammodo flavescentis, quam ex *Italia* olim attulit J. de Witt. Descripsit Oudendorpius in Legati Papenbr. br. descr. p. 15. n. 15. — Alt. 0,065; lat. 0,175 Cub. Neêrl.

> *Ἀντίνοος Μάρ-*
> *κελλος ὁ (ἱε)ρεὺς* sic
> *τοῦ Ἀδρίανος* sic
> *ᾠκοδόμησεν*

Oudendorpius l. c. scribit: » nisi plures lapicidae insunt errores, inscriptionis sensus est: *Antonius Marcellus Reusti filius, Adrianus* sive *urbis Adriae civis, aedificavit.* Sed lapis ab Orellio C. I. Tom. I. p. 59 et Reuvensio in annot. ms. in dubitationem vocatus est. Reuvensio videbatur effictus, ad exemplum nummorum in quibus legitur ΟCΤΙΛΙΟC ΜΑΡΚЄΛΛΟC ΟΙЄΡЄΥC ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ, de quibus vid.

Eckhel D. N. VI. p. 532; sive alterius, sed (ex *Reiskii* opinione) suspectae itidem fidei, inscriptione praediti ΟΚΤΙΛΙΟϹ ΜΑΡΚΕΛΛΟϹ ΟΡΕΥϹ ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΣ, vid. Rasche, Lex. Num. v. Antinovs in *a*) Achaei n. 7. (Tom. 1. p. 729); sive tertii, de cujus fide non constat, sed in cujus aversa templum cernitur, vid. Rasche l. c. n. 3 et II. p. 43.

Ex palaeographica literarum forma temere conjicias titulum spurium esse; neque enim literarum Latinarum cum Graecis commixtio, nec vitia scribendi vs. 2 et 4 in vocibus ΜΑΡΚЄΛΑΟG pro ΜΑΡΚЄΛΛΟϹ et ΩΚΟΛΟΜΗΣΕΝ pro ΩΚΟΔΟΜΗΣΕΝ, illud probant. Literarum namque illa commixtio et vetustiorum literarum imitatio, ut cernitur in litera Σ, in recentioris aevi titulis haud insueta est, et errores quadratarii incuriae aut ignorantiae, ut sexcenties, tribui possent. Sola forma literae Ω vs. 4. in inscriptionibus, quod sciam, insolita est; rarior etiam promiscuus usus literae C et Σ; cf. Tab. V. 3. At ego quoque defide et antiquitate tituli dubito.

4. In fragmento marmoris albi, quod anno 1825 ex *Melo* insula misit Rottiersius. — Alt. 0,165; lat. 0,385 Cub. Neèrl.

: : : : : : [ς] *Μάρκελλος*
[στρ]ατηγήσας τὰ ἀγάλ-
ματα τῆς Ἀθηνᾶς
ἐπισκεύασε

Errores quadratarii. Vs. 2. ΑΓΛΑ pro ΑΓΑΛ; vs. 3. ΑΟΗΝΑΣ — ΑΘΗΝΑΣ; litera enim Θ, sine puncto aut lineola in medio, eo tempore ad quod titulus referendus est, quod sciam, non scribebatur.

Si titulus n. 3. memoratus germanus esset, versu 1°. suppleremus [Ἀντίνοος], unde idem nomen haberemus. Lapidem quondam in templo Minervae, *Melo* in insula conditum, asservatum fuisse, haud dubium facit Ἀθηνᾶς commemoratio, quamvis incertum sit, quid ἀγάλμασι hoc loco sit intelligendum. Ἀγάλματα enim non speciatim *statuas* significare, sed quaevis opera ornatiora ad oblectamentum composita, imprimis autem donaria numini alicui consecrata atque deorum simulacra, erudite docuit Ruhnkenius, ad Tim. A. 2. p. 4—8; cf. Franz. El. Ep. p. 59.

Verbum *ἐπισκεύασε(ν)* occurrit quoque in titulo *Delio* Tab. V. n. 1, certe post Ol. 153 ponendo. Nostrum titulum ad Romanorum imperatorum tempora referendum esse, literarum forma argui videtur.

5. In arula quadrata, ex lapide Ophite, nitidissime polita, originis incertae. — Alt. 0,045; lat. 0,083 Cub. Neërl. In arulae superficie focus est rotundus, quales in majoris moduli aris Graecis ac Latinis saepissime conspiciuntur.

> *Ἡρακ[λ]εῖ* || *Ἀρχη[γ]έτει* || *ἐτων πέντε* ❦ || *Ἐτια* [*Ἀ*] || *τῆς*
> (sic) *τῆ[ς]* [*π*] || *ὀλεω[ς]* *Νιλώου.* Cred || (o)
> quia redem || t(o)r m(eu)s vi(vit).

Errores uniuscujusque versus facile intelliget qui apographum nostrum, in quo tolerabiles emendationes exhibuimus, cum Tabula contulerit.

Monumenti origo frustra a me quaesita est. Reuvensius, si bene memini, illud spuriis annumeravit. Neque desunt rationes, quae fidem monumenti atque ipsius inscriptionis labefactare possint. Ipsa arulae species propter summum nitorem recentior apparet. Non linguae quidem literarumque Graecarum et Latinarum commixtio, sed errorum multitudo et indoles, atque negligentior scalpendi ratio, qualis minime quadrat cum eleganter fabricata politaque ipsius monumenti forma, suspicionem augent; illud certe probant, titulum a manu scribae profectum esse, quem inscriptionis a se scalpendae significatio aut literarum ipsarum vis fugiebat. Versus primus in superficie arulae scalptus est ita, ut in una quadrati parte legatur ΩΛЄΩЄΝΙΛ, in altera ЄΤΩΝ ΠЄΝΤЄ, in tertia ❦ЄΤΙΑ. Α. in quarta ΤΗϹΤΗΟϽϽ. Verba ΗΡΑΚΛΕΙ ΑΡΧΗΤΕΤΕΙ sculpta sunt in latere, infra ΟΛЄΩΕΝΙΛ; cetera in lateribus, sub illis vocabulis quae in Tabula nostra supra pictae sunt.

Operae pretium est animadvertisse, aliam inscriptionem, nostrae omnino similem, ab Osanno editam esse, addita imagine literarum aeri incisa, Syll. Insc. Gr. fol. 404 et 405, et cf. Tab. III. 1.; depromptam, ut ait, ex Seguierii Catalogo Insc. Gr. MS. in Bibl. Reg. Paris. asservato. Est illa hujusmodi: ΕΤ. ΩΝ. ΠЄΝΤЄ. || ❦ЄΤΙΑ. Α. || ΤΗϹ || . ΤΗϹ ΠΟΛЄΩЄΝΙ. || ΛΩΟΥ CRE. ΔΟ || QΥΙΑRΕ. ΔΕΜΤ. || RMSVI. || ΗΡΑΚΛΕΙ ΑΡΧΗΤΕΤΕΙ. Tersanus, qui, ut Osannus tradit, prius titulum ediderat,

literas RMSVI, minus recte explicavit *resurgit*. Similitudo vero utriusque inscriptionis tanta est, ut vel nostra ex Parisina, vel Parisina ex nostra, vel utraque ex alia, bonae, ut nobis videtur, fidei et auctoritatis fluxisse censenda sit.

Tertii similis stili tituli, ejusque Aquilejensis, meminerunt Bartolus in Antiqq. Aquilejae n. 385. p. 335. et Murator. Insc. p. 1941. n. 4; cf. Placentin. de Sigl. Vet. p. 69—70. Montefalconius qui, ut nobis videtur, eandem exhibuit et latine vertit, in Ant. Expl. T. V. Pl. 31, illam *Romae* positam fuisse scribit. Sed de fide istius tertii tituli, nihil constat. Noster vero si spurius, ut suspicamur, habendus est, ad archetypum effictus videtur, ex Aegypto (quo Νιλώου — *Nilopolis* — nomen ducit) oriundum. A manu Christiana profectum esse, ex verbis *credo quia redemtor* etc., patet. Huic Christianae indoli minime refragantur *Herculis* nomen et titulus; his enim Christum intelligendum esse, vix dubitamus; vidd. inscriptiones ab Osanno in diario: Zeitschrift für die Alterthumsw. 1838. p. 324 et in Syll. Insc. Gr. p. 404; atque a Bellermanno in opere: de Phoen. et Poen. insc. Berol. 1810. p. 15 allatae. Affirmari etiam possit, ex syncretistica et symbolica primorum Christianorum praecipue in Aegypto degentium agendi ratione.

TAB. V.

1. In marmore oblongo, *Delo* advecto, ab homine qui navibus per insulas Graeciae dimissis marmora et peregrinos lapides conquirebat. Ab illo mercatus erat N. Witsius, ex cujus collectione postea emit Vir Consult. Bollaert, qui illud anno 1748 Academiae Lugd. Bat. donavit. Ediderunt: Spon, Miscell. Erud. Ant. p. 121, J. F. Gronovius, in not. ad Plin. XXXIV. 8, ex quo loco petiit Sillicius in Cat. Artif. p. 225, et in not. ad Senec. de Ira III. 18, unde petiit Villoisonus in Itin. MS. Vol. V. p. 122, in Bibl. Paris. asservato, quem sequitur Osannus, Syll. Insc. Gr. p. 383. n. 10, male Villoisono fidem habens, lapidem *Paro* tribuenti. Osannus membra quoque inscriptionis non recte divisit. Porro, J. G. te Water, in App. Narrat. de reb. Acad. L. B. Lugd. Bat. 1802. p. 159 seqq.; te Waterum secutus Boeckhius, C. I. n. 2285ᵇ, quem excerpsit Franzius Elem. Ep. Gr. p. 235. n. 90. — Alt. 0,74: lat. 1,315; crass. 0,03 Cub. Neërl.

Γάϊον Βιλλιηνόν Γαΐου υἱὸν πρεσβευτὴν
Ῥωμαίων οἱ ἐν Δήλῳ ἐργασόμενοι εὐεργεσίας
ἕνεκεν τῆς εἰς ἑαυτοὺς ἀνέθηκαν.
Ἀγασίας Μηνοφίλου Ἐφέσιος ἐποίει.
Ἀρίστανδρος Σκόπα Πάριος ἐπεσκεύασεν.

Vs. 3. Sillig. l. c. perperam habet ΣΕΑΥΤΟΥΣ; et vs. 4. Villoison. l. c. ΜΗΝΦΙΛΟΥ. Vs. 3. ΕΡΓΑΣΟΜΕΝΟΙ sculptum est pro ΕΡΓΑΖΟΜΕΝΟΙ, quod ex promiscuo usu literarum Σ et Ζ, secundum variam pronuntiationem explicari possit, de quo vid. Welckerus in Syll. Epigr. p. 295.

Inscriptionem ad statuam respicere in honorem C. Billieni positam, facile est ad suspicandum. Te Watero l. c. Billienus idem videtur, qui a Cicerone in Bruto c. 47. laudatur C. Bilienus, homo per se magnus, quique, ut Boeckhius C. I. l. c. addit, „circa A. U. C. 650 (a. C. n. 104) consulatui capessendo videtur par fuisse, potuitque antea legatus esse, decem fortasse annis ante (circa Ol. 161)." Vide num sculptor Agasias Ephesius, Dosithei filius, qui gladiatorem Borghesianum fecit, aequalis et consanguineus nostri artificis fuerit. Restaurator Aristander, Scopae filius, fortasse idem ille est, inquit te Waterus l. c., cujus meminerunt Plinius l. c. (i. e. L. XXIV. 8) et Pausanias in Lacon. L. III. p. 296 (L. III. 18. 5. edit. Kuhn.) Sed apud Plinium equidem Aristandri nomen frustra quaero, et Pausaniae ille Aristander vixit Ol. 93. 4, ut praeter alios ostenderunt Boeckhius l. c. et Silligius, quorum ille conjecit nostrum Aristandrum fuisse ex posteris Aristandri illius, cujus meminit Pausanias. Quod ad palaeographicam tituli conditionem attinet, observandum est, superiorem tituli partem magis detritam esse et exesam quam inferiorem, atque versum ultimum, qui Aristandrum Parium restauratorem prodit, a recentiore manu profectum esse; id quod etiam ipsa probatur forma recentiore literae A.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS SEPULCRALIBUS.

TAB. V.

2. In cippo marmoris caerulei, *Smyrna*, ut videtur, advecti. Olim fuit Caroli Heidani, Urbis Leydensis a secretis; deinde in collectionem Papenbroekianam migravit. Descripsit Oudendorpius, l.c. n. 24. p. 23. — Alt. 0,21; lat. 0,265 Cub. Neêrl.

Ἀλέξανδρος ἐτῶν Γ.

Anaglyptice Insculptus est: puer nudus, cui caput obtectum triangulari tegmine, humeroque sinistro folium, ut videtur, gerens, dextram protendit, ut caudam Galli gallinacei procurrentis arripiat; coram gallo stat ara s. incudis s. corbis. Similia vidd. apud Fabrett. p. 124 et 380.

3. In cippo quadrato marmoris flavescentis, quem ex *Thera* (*Santorino*) insula allatum, Museo antiquario donavit Vir Ill. et Excell. Baro a Zuilen a Nievelt, summus olim imperii Neêrlandici in aula Ottomannica legatus. — Alt. 0,32; lat. 0,16 Cub. Neêrl.

a. *Ἀλέξανδρος μένσε :* (sic)
τοὔνομά μου, ἡ δέ μου μήτη[ρ]
Εὐτυχία, πατ[ρ]ὸς δ᾽ἐξέ[φυν]
Ἀχιλλέως· ἔλειψα δ᾽αὐτο[ῖς]
θανὼν πέν[θ]ος βαρυ
b. *Ἐτῶν Δ̄.*

Vs. 1. ΜΕΝΣΕ: fortasse perperam scriptum pro ΜΕΝΣΤ[Ι], i. e. *μέν ἐστι*. Vs. 5. ΠΕΝΟΟC perperam pro ΠΕΝΘΟC sculptum est.

Inscriptio *a*. posita est in inferiore lapidis margine; supra illam insculptus cernitur ipse, ut videtur, puer Alexander, nudus sed dimidia corporis parte ex arca seu cista (sarcophagus esse possit) prominens; pone pueri caput legitur inscriptio *b*. qua

docemur illum *quatuor annos* natum mortem obiisse. Literarum nonnullarum formae, ut Θ, Ξ, Σ et Ω, arguunt inscriptionem recentioris esse aetatis; forma Ϲ pro Σ, quantum novimus, non ante saeculum Christi aetatem proxime praecedens in titulis reperitur; sed inter hoc tempus et saeculum post Christum IV nihil de aetate definiam. Observari meretur promiscuus usus literarum Ϲ et Σ; in eo tamen haec cernitur constantia, quod forma Ϲ in fine, forma Σ in initio vocum usurpata est; quae constantia non ita observatur in titulo suspecto, Tab. IV. n. 3 exhibito. Ceterum inscriptionem poetice tentatam esse, me non monente intelligitur.

4. In marmore oblongo, *Thessalonica* reperto et a Viro perillustri DE HOCHEPIED ad OUDENDORPIUM misso, ab hoc vero donato Academiae Lugd. Batavae. Edidit J. G. TE WATERUS in App. Narr. p. 165. n. VIII, unde repetiit BOECKHIUS C. I. n. 1976. — Alt. 64; lat. 0,35 Cub. Neèrl.

['Απολλώνιος]
[υἱ]ὸς 'Απολλων-
ίου τὴν ταφὴν
καὶ τὸν ἐναγισ-
μὸν τῷ πατρὶ
'Απολλωνίῳ 'Α-
πολλωνίου.

Literarum formae Є, C, Φ et Ω aetatem arguunt, Christi, ut videtur, natalibus non anteriorem. Forma literae Φ rarior est; vide tamen C. I. n. 203, 303, 626[b], et 2744; atque Ἐφημ. Ἀρχ. 1837. n. 22 et 1838. n. 59 et n. 78. — Ceterum in Tabula nostra lithographica levis hic error irrepsit, quod spatium inter primi versus primam literam (Υ) et secundam (O) arctius est, quam esse debuisset.

5. In columella rotunda marmoris Hymettici, *Athenis* prope Academiam reperta, atque anno 1826 a ROTTIERSIO huc missa. — Alt. 0,54; lat. 0,155 Cub. Neèrl.

'Απολλώνια
'Ηρακλείδου
Περγαμήνη.

Vs. 1. perperam Ἀπόλλωνα pro Ἀπόλλωνι, sculptum est; nam ad remotum illud tempus inscriptio non adscendere videtur, quo O pro Ω scribi solebat.

Monumentum est ex illa lapidum sepulcralium classe, qui hominibus inferioris conditionis poni solebant, qua de re consuli meretur harum rerum peritissimus, Rossius, in diario: Archaeol. Intelligenzbl. 1837, N°. 78—81.

6. In superiore margine cippi fastigati ex marmore Pario, *Smyrna*, ut videtur, oriundi. Olim possedit Carolus Heidanus, postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 49. N°. 63. — Alt. 0,475; lat. 0,32 Cub. Neërl.

Ἀπολλώνιος Ἡροδότου.

Supra inscriptionem anaglyptice exsculpta est corona; supra coronam, in tympani fastigio, rosa. Infra inscriptionem, in recessu, stat puer, ipse ut videtur Apollonius, dextra uvam protendens, sinistra vestem, uvis repletam, tollens. Canis saliens uvam respicit illamque allatrare videtur, atque serpens, apotheoseos ut videtur symbolum, arbori circumvolutus puerum adspicit. In angulo sinistro, stat servus, pedibus curvatis et capite in manum inclinato.

7. In superiore parte cippi quadrati ex marmore Pario, quam primo possedit Sixius, V. A. consul Amstelodamensis, postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 13. n. 11; meminerunt Corsin. de Siglis p. 47. et Placentin. Sigl. Vet. p. 125. — Alt. 0,46; lat. 0,42 Cub. Neërl.

Ἀπολλώνιος νεικας ΜΗ
Ζωσίμῃ
ἰδίᾳ γυνῇ
μνήμης χάριν.

Infra inscriptionem in recessu, exsculptus est retiarius, more retiariorum vestitus et armatus. Cujus generis hominum imagines vidd. in Ant. d'Ercolano Vol. VIII. Tav. XII; Cavlo, T. II. Tab. LXXXV. p. 266; Mus. Veron. p. 444; all. Oudendorpius

l. c. retiarium non dignoverat; inscriptionem etiam minus feliciter expedire conatus, vertendo Apollonius Nicas, *non vivere valens*, *memoriae caussa propria uxor*. Attamen suspicatus est, Zosime nomen proprium esse. Dubio vix caret νικας ΜΗ significare: *quadraginta octies victor*, *s. victoriarum* XLVIII; utrum vero νικας, *victorem* an *victorias* indicet, mihi incertum est. In Latinis inscriptionibus similes dicendi formulae occurrunt in retiariorum monumentis; vid. Grut. p. cccxxxiii. 8, 9 et p. cccxxxiv. 4. — Infelices de inscriptionis significatione conjecturas vide apud Corsin. et Placentin. ll. cc. Literarum forma docet, inscriptionem ad Romanorum imperatorum tempora referendam esse.

8. In cippo marmoreo fastigato, ex duabus diversis partibus male conglutinato, et *Smyrna*, ut videtur, allato. Possedit olim Carolus Heinanus, deinde Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 24. n. 26. — Alt. 1,325; lat. 0,51 Cub. Neërl.

Ὁ δῆμος
Ἀπολλώνιον Λευκίππου
[*Ὁ δῆμος*]
Λύσειν (pro *Λύσιν*) *Λευκίππου.*

Μελίτιον Ξενῶνος.

Superior lapidis pars, in qua scripti sunt vs. 1—4, marmoris genere, artis conditione, literarum forma et inscriptionum indole, ab inferiore diversa est et multo inferioris aevi. Illa tres coronas exhibet continua serie sculptas, quarum duae vocem ΟΔΗΜΟΣ includunt. Priori coronae subscriptum est ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΝ ΛΕΥΚΙΠΠΟΥ; alteri, ΛΥCΕΙΝ ΛΕΥΚΙΠΠΟΥ, unde efficimus in lapidis fracta amissaque parte inferiore, viros hos (fratres opinor) a populo honoratos, exsculptos fuisse. Dicta lapidis pars haud dubie ad imperatorum Romanorum tempora pertinet.

Inferius segmentum, cujus in basi sculpta est inscriptio vs. 5, mulierem stantem exhibet, capite velato atque theristrio indutam. Ad ejus pedes, in utroque latere, stat serva, quarum una calathum tenet, altera cistulam praefert. Pone stantis mulieris caput scrinium cernitur; in scrinio capsa cum operculo fastigato et umbella plicatilis apicata; quae satis ostendunt lautam ipsius fuisse vitae conditionem. De

illa vero nihil constat nisi quod Ξενίνος, ut titulus docet, sive θυγατὴρ sive γυνὴ fuerit.

Ex artis conditione et literarum forma efficias, hoc fragmentum referri posse ad II et quod excurrit a. C. n. saeculum.

9. In fronte epithematis sepulcralis, forma ἡρώου, ex marmore Pentelico, anno 1819 inter *Sunium* et *Portum Phalerum* reperti atque a Rottiersio huc missi. Ex schedis Mülleri edidit Boeckh. C. I. n. 767. A fastigio tympani usque ad basin altum est 1,74; lat. 1,30 Cub. Neêrl.

'Αρχεστράτη 'Αλεξοῦ (sic) Σουνιέως.

Infra inscriptionem in recessu anaglyptice exsculpta cernitur mulier formosa, diphro insidens, theristrio induta, capito velato, pedibusque scabello impositis. Coram illa stat juvenis puella, atque ab ejus tergo feminae conspicitur protome tristis; quae indicent Archestraten, demortuam quidem, sed tamen viventem in templo deorum immortalium; ubi illam visitet consanguinea s. filia superstes; dum serva in terris relicta dominam suam deploret.

Archestrate in titulo memorata quaenam fuerit, non constat, quamvis notum nomen sit. In marmoribus Elginianis occurrit Archestrate, Mnesistrati Paeanii filia, vid. Osann. Syll. Insc. Gr. fol. 78; alia laudatur in fragmento marmoris sepulcralis, in diario: Arch. Intelligenzblatt. 1837. n. 84. Si ex artis conditione monumenti ipsius atque ex palaeographica literarum forma de aetate judicare licet, epithema ad Alexandri Magni tempora escendere possit. Alexus (sic), ipsius sive pater sive maritus, quis fuerit, nos latet. Nomen 'Αλεξος insolens nec Graecum est. Nisi temerarium sit, errorem quadratarii suspicor, qui 'Αλεξίου scribere debuerit. 'Αλεξίας nomen Graecum esse et quidem optimae aetatis, nos docet catalogus pretiosissimus eorum qui ex Erechtheide in sex proeliis eodem anno commissis occubuerunt, asservatus in Museo Parisino, editoque cum ab aliis tum nuper a Franzio l. c. p. 111 seqq.; referendus ad Ol. 80, 1; alius 'Αλεξίας, Archon, vixit Ol. 93, 4; vid. Clinton Fasti Hellenici, edit. Kruegeri, p. 88. Figurae monumenti prope naturali magnitudine effectae, sed hic illic truncatae sunt. Stilus artis bonus est, et quae artifex aut peccaverit aut non absolverit, pauca sunt. Epithematis imaginem et explicationem, a nostra diversam, vide in diario: Messager des Sciences et des Arts, Gand 1823. 8°. Mai.

10. In basi toreumatis quadrati ex marmore Pario, cujus olim possessor fuit J. Sixius, deinde Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 37. n. 46. — Alt. 0,54; lat. 0,605 Cub. Neërl.

:::::::::::::::::::::::::::::::: φ[ά]νης Κυδρογενεὺς
:::::::::::::::::::::::::::: Κυδ[ρ]ογενεῖ ἥρωϊ.

Varietas lectionis. ....ΑΒΟΓ.....ΑΛΛΟΦΑΝΗΣ ΚΥΔΡΟΓΕΝΕΥΣ................ Α...ΙΚΥΔΡΟΓΕΝΕΙ ΗΡΩΗ...... Oudendorpius l. c.

Supra inscriptionem, in recessu sculpta sunt haec: in lecto triclinari cubat vir barbatus dextra pateram tenens, cujus caput olim corona ornatum fuit, ut duo foramina in pariete ostendunt. Ante eum stat mensa sepulcralis et ad eum accedunt decem personae, utrimque quinque, variae aetatis sed speciem adorantium prae se ferentes. Ad caput, mulier et quatuor viri; ad pedes, totidem. His parentaliorum et Apotheoseos pars intelligenda esse videtur. In Graecia etiam morem obtinuisse, ut mulieres ac virgines in funus cognatorum prodirent, veterum scriptorum testimoniis probari potest, ut fecit Beckerus in Chariclc, Tom. II. p. 180; cf. Drakenb. in not. ad Terentii Andriam, p. 35 edit. Grauerti. A tergo sex conspiciuntur columnae; inter columnas, in parietis parte superiore, quinque tabulae, in quarum prima, clypeus rotundus cernitur, cum duabus hastis decussatis; in ultimo, equi frenati protome; in singulis mediis, protome mulieris eleganter vestitae et comatae, una mulierum flabellum, alia pilam tenet. Fortasse omnes pilis ludunt et defuncti servae sunt. ΚΥΔΡΟΓΕΝΙΣ nomen fuisse videtur defuncti; ΗΡΩΣ est defunctus, ut C. I. 1629, 2427, 2486; Ross in diario: Kunstblatt, 1836. n. 17. p. 66; cf. Welcker, Syll. Epigr. p. 32 seqq. Artis et literarum conditio satis remotam antiquitatem indicant.

TAB. VI.

1. In marmore oblongo, ex *Tenedo Smyrnam* olim allato, indeque a Comite de Hochepied dono Academiae misso. Descripsit te Waterus, in Append. Narr. p. 161. N. vi. — Alt. 0,91; lat. 1,97 Cub. Neërl.

[Μ](άρχος) Αὐρήλιος Διονυσόδωρος ἔθηκα τή[ν]
σορὸν ἑαυτῷ καὶ τῇ συμβίῳ μου Αὐρηλί[ᾳ]
Εὐημερίᾳ καὶ τοῖς τέκνοις μου Μ(άρκῳ) Αὐρηλί[ῳ]
Πρείμῳ καὶ Μ(άρκῳ) Αὐρηλίῳ Ἑρμείᾳ καὶ Αὐρηλί[ῳ]
Διονυσοδώρῳ καὶ Αὐρηλίᾳ Εὐημερίᾳ·
Εἰ δέ τις ἀνοίξας ἕτερον νεκρὸν ἢ ὀστ[έα]
βέλῃ δώσει τῷ ταμείῳ XSB[Φ] καὶ τῇ πόλει XSB[Φ].

Te Waterus l. c. monet, **Oudendorpio** lapidem renovatum visum fuisse, id quod ipse in medio relinquit. **Reuvensius** inscriptionem falsam esse aliquando suspicatus est, ut ex annot. MS. a. h. l. mihi patuit; sed postea sententiam mutasse videtur. Equidem haud nego, literas nonnullas novitatis speciem prae se ferre et sculpendi rationem a solito modo aliquanto discedere; tituli tamen probitatem adhuc vindicandam esse existimem. Primo quod a Comite **de Hochepied**, ut in *Tenedo* repertus, ex *Asia* missus donoque datus est. Secundo, quod ex literarum forma et stilo epigraphico argumentum contra fidem peti nequit, immo similes inscriptiones, eaeque germanae habitae, olim repertae sunt: duae in *Troade*, quas edidit **Clarkius**, Travels T. III. p. 191 et 201 edit. Lond. 1817; una *Smyrnae*, quae in Museo Britannico asservatur, vid. Townley Gallery II. p. 164 — 165; una *Larissae* reperta, vid. C. I. n. 1958; alia itidem *Smyrnae*, quam edidit **Maffeius** Mus. Veron. p. XLI. n. 2, et p. XLII, quo posteriore loco affirmat, se plures lapides Smyrnenses scripturae modo similes contrectasse. Marmor nostrum hic illic corrosum et literae nonnullae detritae sunt, quibus ejus fides et antiquitas etiam confirmari videtur. Quae in fine leguntur de sepulcro non aperiundo, de aliorum cadaveribus ossibusve in illud non inferendis, deque multa 2500 denariorum, illustrantur a viris eruditis in Observv. Miscell. Critt. Vol. IV. p. 355 — 377; **Corsino**, cum in Prolegg. ad not. Gr. p. XXVI, tum in ipso illo opere p. 10, 11, 72; imprimis vero titulis C. I. a **Franzio** l. c. p. 341 excitatis.

2. In cippo marmoris Parii, *Thessalonicae* reperto atque *Smyrnâ* a Comite **de Hochepied** ad **Franciscum Oudendorpium** misso; ab hoc vero Academiae L. B. donato. Edidit **te Waterus** l. c. p. 163—164, quem secutus **Boeckhius** C. I. n. 1991. — Alt. 0,885; lat. 0,77 Cub. Neêrl.

Αὐρήλιος Σωζόμ[ενος καὶ Κλαυδία Ἀρτε]μίδωρα
ζῶντες ἑαυτοῖς καὶ τοῖς γλυκυτάτοις τέκνοις Αὐρη-
λίᾳ Εὐκλείᾳ καὶ (Αὐ)ρηλίᾳ Σωζομένῃ καὶ Αὐρηλίᾳ Ἀλεξάνδρᾳ
[καὶ] Κλαυδίᾳ Ἀρτεμιδώρᾳ τῇ θρεπτῇ, μνήμης χάριν.

Varietas lectionis et errores quadratarii superiorumque editorum. Vs. 1. ΑΥΡΗ-ΛΙΟΣ ϹΩΖΟΜЄ . . . . ΤЄΜΙΔΩΡΑ, Te Waterus l. c. (male definito spatio detrito). ΑΛΕΞΑΝΑΡΑ, C. I. l. c. Vs. 2. ЄΑΥΤΟΙΣ, quadratarii error a superioribus non notatus. Vs. 3. ΚΑΙΡΗΛΙΑ, quadratarii error.

Lapis duplici serie septem hominum imagines exhibet, ad vivum exsculptas; in superiore serie quatuor, in inferiore tres, quae effigies repraesentant defunctorum in titulo memoratorum. In his observandum imprimis hoc est, quod Aurelii patris protome bis conspicitur, semel initio ordinis superioris, iterum initio ordinis inferioris. Hinc habes duas patris imagines, matris unam, tres filiarum et unam nutricis. Inscriptionis versus 1 in summo lapidis margine sculptus est; ceteri versus in basi. Te Waterus, non satis perspecta imaginum indole, etiam ante ΤΗΘΡΕΠΤΗ omissam putabat particulam ΚΑΙ. Scite contra monuit Boeckhius, ita deficere nomen ancillae domi natae; sed improbanda est ipsius conjectura, septimum nomen negligentia quadratarii excidisse. Te Waterus etiam in eo erravit, quod *Filios* in lapide memorari scripsit.

Literarum conditio et nominum Aureliorum commemoratio arguunt, monumentum ad Aureliorum tempora aut paullo post referendum esse. Attendenda videtur rarior forma literae Ω in voce ΑΡΤЄΜΙΔΩΡΑ vs. 1. — Plura similis formae monumenta sepulcralia, a Germanis ***Bustencippen*** vocata, vidd. v. g. in Grut. p. 690, 698, 739, 814, 830, 831; Mus. Veron. p. cxliii. 1. et C. Sixii, Nuncio — de ara Romana - - - Rhenotraj. effossa, in opere: Verhand. der Holl. Maatschappij van Wetensch. D. XIX. St. 3.

3. In fronte arae quadratae ex marmore Pario, quae quondam fuit in collectione J. Sixii, deinde Philippi de Flines, mercatoris Amstelodamensis, postea vero in Museum Papenbroeckianum migravit. Descripsit Oudendorp. l. c. p. 53. n. 68. — Alt. 0,92; lat. 0,39 Cub. Neërl.

Ἀτίλλια Χαρίτιον

Γνάιος Δ
Ἀτίλλιος
Πολύβιος

---

5 *Cnejus Atellius Cneji filius Pa[l]atina*
[Longus, vivos sibi]

In arae superficie focus est, cui, ut duo foramina ostendunt, sive testa imposita fuit, ad suffimentum recipiendum, seu operculum, ad ossa cineresque defunctorum tegenda. Latera quatuor capitibus bubulis ornata sunt, quibus sustinentur serta ex floribus frugibusque composita. — Titulus tribus partibus constat a se diversis, quarum singulae ad unam eandemque familiam spectant. Prima vs. 1. in extrema ara, supra bubulci caput conspicitur, cum ipsa ara, ut videtur, nata. Altera, vs. 2, 3 et 4, in media ara, paullo negligentiore manu sculpta est. Tertia, vs. 5 et 6, eaque latina, in basi posita. Prior inscriptio vs. 1. nihil difficultatis habet; media incertos nos relinquit, utrum tria diversorum hominum nomina contineat, an unius hominis tria nomina; tum, quid sibi velit signum Δ, quod nomen ΓΑΙΟΣ sequitur. Posterius hoc, missis aliis quae proferri possint conjecturis, interpunctionis notam esse censeam talem, quae locum folii vel similis ornamenti occupans ideo sculpta sit, ut commode impleatur spatium superfluum; cf. Corsin. de not. Gr. p. 16 et 86, et C. I. 2164. Nomina vero tria ad unum eundemque hominem pertinere, suadent prior et postrema inscriptio. Hunc hominem Atelliae Charitii consanguineum fuisse, non difficile est suspicatu. Is, qui in infima inscriptione laudatur, *Cnejus Atellius Cneji filius*, fuisse videtur filius ejus, qui in media ara *Cnejus Atellius Polybius* dicitur. *Longus* Atiliorum notum cognomen est, de quo vidd. Perizon. in Diss. Triad. p. 260 et Commentatores ad Liv. V. 13. Vs. 6 *vivos* pro *vivus*, ut saepe; vid. v. c. Murat. iiii, 2; 1389, 15 et passim. Vs. 3. in nomine ΑΤΕΛΛΙΟΣ, literae Λ forma rariores sunt, utpote ad cursivam scribendi rationem proxime accedentes. Ceterum nullam harum inscriptionum Augusti aetatem antecedere, docere videntur apices, quibus literae Λ praeditae sunt.

4. In superiore margine cippi oblongi ex marmore Pentelico, reperti in insula *Aegina* atque a Rottiersio huc missi. — Alt. 0,48; lat. 0,28 Cub. Neèrl.

Δημέας.

Infra inscriptionem exsculptus cernitur vir juvenis stans, tristique vultu vasculum, ut videtur, in terram effundens, cane illum allatrante. Viri protome nuda est, cetera velamentum tegit. Anaglyphon atque literarum formae aetatem quidem redolent satis remotam, sed Ol. 94 posteriorem.

5. In tympano cippi marmoris Parii, qui olim in possessione fuit J. Sixii, deinde in collectionem Papenbroekii migravit. Descripsit Oudendorp. l. c. p 23. n. 25. — Alt. 0,95; lat. 0,50 Cub. Neèrl.

Ὁ δῆ-
μος
Διόδοτον Διοδότου τὸν νεώτερον.

In fastigio duae cernuntur coronae, cum duabus rosis. Coronarum priori insculptum est Ο ΔΗΜΟΣ; infra coronam cetera. Infra inscriptionem, in recessu, stat vir nudo capite, sed palliatus atque soleatus. Juxta virum alius cernitur, priori similis cum forma tum habitu. Pone illorum caput, duae capsae cum duobus librorum voluminibus et ad pedes tres servi.

Vix dubitari potest quin is, supra cujus caput sculpta est corona, vocem ΟΔΗΜΟΣ continente, sit ΔΙΟΔΟΤΟΣ, in inscriptione memoratus. Lapidem, si quis ad priorum imperatorum Romanorum tempora retulerit, nos non repugnantes habet. Inscriptio nonnulla rescriptionis vestigia prodit, sed non amplius restauranda; quocirca literarum exesarum spatium umbraticis lineolis indicavimus.

6. In margine inferiore cippi fastigati ex marmore Pario, *Smyrna* ut videtur advecti. Olim possedit Carolus Heidanus, deinde Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 18. n. 18. — Alt. 0,495; lat. 0,40 Cub. Neèrl.

Διονύσιος
Διοδότου
᾿Απολλώνιος Διοδοτου

Infra Apollonii nomen vs. 3 anaglyptico sculptus est puer, stans dextraque manu uvam protendens, dum canis sedens illum suspicit. Infra, ad pueri pedes, stat servus, s. vernula, succinctus, pone basin Hermeraclis, dextra uvam tenentis. Infra Dionysii nomen, versu 1°, puellus cernitur arae seu cistae insidens, manu, ut videtur, calathum attollens dorsoque reclinans in arborem, ex qua serpens circumflexus prominet, stantem Apollonium adspiciens. Supra caput utriusque pueri corona sculpta cernitur. Oudendorpius conjecit, horum puerorum Dionysii et Apollonii patrem Diodotum fortasse memorari in Epitaphio antecedente (n. 5). Verisimilius etiam est, pueros hos fratres fuisse.

7. In superiore fronte cippi marmorei fastigati *Smyrna*, ut videtur, advecti, quem olim possedit Carolus Heidanus, postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 32. n. 36. Alt. 0,82; lat. 0,44 Cub. Neërl.

χα[ῖρε]
χαῖρε
Εἰσίας Διονυσίου Περίνθια.

Infra inscriptiones exsculpta est mulier sedens, eleganti vestitu ornata, manu velum sublevans et pedibus scabello impositis. Serva ad illam accedit, cistulam portans. In alto scrinio, pone sedentem, cernuntur capsa, calathus, flabellum. In cippi tympano, rosarum figurae et sertum. Vox XA vs. 1. in summo tympani apice sculpta est. Hanc Oudendorpius l. c. nimis audacter, ut nobis videtur, vitiose rasam suspicatus est pro XP, quod significaret XPηστη; neque enim invenimus hujusmodi erroris causam aut similis compendii alterum exemplum. Nomen ΕΙΣΙΑΣ in Oudendorpii recensione per errorem sic scriptum est ac si quid deesset (... ΕΙΣΙΑΣ). Occurrit idem nomen in inscriptione apud Spon. Voyage, T. II. p. 464. edit. 1679. 8°. Inscriptiones ad Romanorum imperatorum tempora referendas esse, docet illarum ratio palaeographica. Formae literarum Θ et Ρ, quarum posterior in lapidibus insolentior est, ad currentem stylum apprime accedunt.

8. In inferiore margine cippi marmorei fastigati, cujus olim possessor fuit N. Witsen, postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 7. n. 4. — Alt. 0,38; lat. 0,27 Cub. Neërl.

Κοαρτα
Βακχίου
χαῖρε.

—

Διογένη
Βακχίου
χαῖρε.

Supra inscriptiones sculpta cernuntur: duae mulieres in recessu, longa veste indutae, stans altera, altera velata in angulo sedens, pedibus scabello impositis; juxta stantem mulierem, vir itidem stans et pallio involutus. Ex his figuris suspicari licet, unam mulierum esse ΚΟΑΡΤΑΝ (lat. Quartam), alteram ΔΙΟΓΕΝΗΝ, ambas vero sorores. Num vir palliatus frater fortasse, qui ultimum ΧΑΙΡΕ dicit?

Forma literae Χ in nominibus ΒΑΚΧΙΟΥ vs. 2 et 4 tam insolens est, ut error quadratarii mihi suboluisset, nisi eodem modo sculpta recurrisset. — Ex paucis literis de aetate, ad quam lapidem referas, vix judicare licet; bonam vero artis Graecae conditionem indicant anaglypha, nec literae florenti aetati repugnant.

9. In fronte cippi fastigati ex marmore Pentelico, prope *Athenas* reperti atque anno 1820 a Rottiersio emti. — Alt. 0,71; lat. 0,33 Cub. Neërl.

Κυπρια.

Infra inscriptionem sculpta est mulier, diphro insidens, pedibus scabello impositis. Ante illam ad pedes calathus, in quem paullo inclinat, dum nendo occupata filum in illum deducit.

Sculpturae conditio bonam artis aetatem arguit, cui literarum formae non reluctantur.

TAB. VII.

1. In fragmento oblongo marmoris Parii in insula *Melo* reperto, atque a Rottiersio huc misso. Edidit Boeckhius C. I. n. 2432. ex Prokeschii schedis a Zellio missis. — Alt. 0,29; lat. 0,59 Cub. Neêrl.

[Κλεώνυμος καὶ] Λυσανία
[τὰ]ν ματ[έρ]α, καὶ Ἐχέκλεια
Κλεωνύμου θυγάτηρ τὰν
[μ]αῖαν Ἐχέκλειαν τὰν Κλεωνύμου
θυγατέρα θεοῖ[ς].

Varietas recensionis C. I. Vs. 1. . . . . ΛΥΣΑΝΙΑ, et in transscriptione: Κλεώνυμος? Vs. 2. ΙΑΝΜΑΤ . . Α. Vs. 4. ΙΑΝΕΧΕΚΛΕΙΑΝ. Vs. 5. ΘΕΟΙΣ.

Verosimiliter lapis pertinuit ad basin statuae, quam Echecleia, Cleonymi filia, aviae suae Echecleiae, atque Cleonymus cum Lysania, matri suae posuerint.

Stemma hoc esse videtur:

Κλεώνυμος $\bar{\alpha}$.
|
Ἐχέκλεια $\bar{\alpha}$.
|
Κλεώνυμος $\bar{\beta}$. Λυσανία
|
Ἐχέκλεια $\bar{\beta}$.

Aliter Boeckhius, l. c.

ΘΕΟΙ[Σ] vs. 5. respicit ad ipsum donarium diis oblatum, cff. C. I. n. 1847, 1848, 1849ᵇ, 2458, 2653, 2654, 2871.

Inscriptionem esse Ol. 158 posteriorem, indicare videtur forma literae Α et Θ.

2. In cippo fastigato ex marmore Pentelico, reperto in via quae *Athenis Thebas* ducit, atque a Rottiersio huc misso. — Alt. 0,545; lat. 0,32 Cub. Neêrl.

Μάλησος
Σμικύθο(υ)
Ἀχαρνεύς·

Lapis ornamentis caret, sed superficies, cui titulus inscriptus est, quamvis valde corrosa et detrita, nonnulla vestigia colorum prodere videtur, quibus olim obducta fuit. Literarum formae, et scribendi ratio vs. 2. ΣΜΙΚΥΘΟ pro ΣΜΙΚΥΘΟΥ, testimonio sunt, lapidem ad florentem Graeciae aetatem esse referendum. Nomen ΜΑΛΗΚΟΣ legi quoque videtur in vetustissimo titulo Theraeo, quem post Boeckhium edidit Franz. l. c. p. 51. Tab. 1. 6.

3. In extremo margine cippi oblongi marmorei, *Smyrna* a Comite de Hochepied missi et Academiae Lugd. Bat. donati. Descripsit te Waterus l. c. p. 157 — 159. N°. iv. — Alt. 0,46; lat. 0,82 Cub. Neèrl.

> *[Ζην]όδοτος Ἀντιαλκίδου πρυτανε[ύ]ων [τ]ὸ δεύτερον*
> *καὶ οἱ παραπρυτάνεις τῇ Ἅδῃ* sic

Anaglyphon infra sculptum virum exhibet barbatum, lecto accumbentem, dextra cornu potatorium, sinistra pateram tenentem. Ante illum mensa sepulcralis, adstante cratere. In angulo servus semisupinus in parietem inclinatus; in tabula protome equi. Ad cubantis pedes arbor, ex qua serpens circumflexus cornu potatorium respicit. Ibidem puer porcum, serto cinctum, ambabus manibus complexus producit; a pueri tergo vir tunica pallioque talari, quod sinistra tenet, indutus idemque calceatus; hic alium puerum, cantharum tenentem virumque suspicientem, manu dextra ducit.

Inscriptio difficultatibus premitur. Nomen ΑΝΤΙΑΛΚΙΔΟΥ vs. 1, quum aliunde non sit cognitum, te Waterus, l. c. legendum proposuit ΑΝΤΙ ΑΛΚΙΔΟΥ, h. e. *loco* sive *vice Alcidae;* quod tamen magis temerarium nobis videtur, quam si continua serie ΑΝΤΙΑΛΚΙΔΟΥ legas; corruptum fortasse pro ΑΝΤΑΛΚΙΔΟΥ.

Nomen et munus ΠΑΡΑΠΡΥΤΑΝΕΙΣ alibi non obvia sunt. Quum vero ΣΥΜΠΡΥΤΑΝΕΙΣ haud raro laudentur, vid. v. c. d'Orvill. Sic. II. p. 566 et Tab. ibidem, causa idonea non esse videtur, cur huic muneri locum in Smyrnaeorum magistratibus neges; cff. ea quae de Prytanibus Smyrnaeorum disputavit te Waterus, Tom. IX. Comment. Societat. Zeelandicae, p. 481 — 506; sed nostrum locum perperam vertit: *subcuratores.* — Non minor difficultas latet in ultimis ΤΗΙΑΔΗΙ, quibus *Inferorum deam* intelligendam esse cum Oudendorpio suspicamur, donec meliora nos alius docuerit. Te Waterus l. c. nihil definivit, sed sic pergit: » nec tamen audeo ΤΗΙΑΔΗΙ mutare in

THIHI *Teiae*, ut est apud CAYLUM, Récueil d'Antiqnités, Tom. II. p. 175. Si cui placeat conjectura OUDENDORPII sacra esse facta *Teiae* Cereri, addi possit, in sacris Cereris porcos sive porcas immolari consuevisse. Vid. VARRO, lib. II. de R. R. cap. 4; CATO, de R. R. cap. 134; MACROBIUS, lib. 1. Saturnal. c. 12." REUVENSII ad h. l. conjectura fuit, THIAΔHI, *Teiadem* virum ignotum significari. Si cum OUDENDORPIO recte videmus, ZENODOTUS ejusque paraprytanes sepulcrale hoc monumentum inferorum Deae consecraruut.

4. In inferiore margine cippi marmorei fastigati, quem olim possedit SIXIUS, deinde UILENBROEKIUS, qui illum PAPENBROEKIO cessit. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 43. c. 53. — Alt. 0,27; lat. 58 Cub. Neêrl.

[Μ]ηνόδοτος Μενεστράτου
[Μ]ενέστρατος Μηνοδότο[υ]
[Δη]μητρία Φιλοξένου.

Anaglyphon supra inscriptionem sculptum hoc est: duumviri cubant in lecto, sinistra culullos praeferentes; adstat mensa sepulcralis, atque in terra calathus. In basi, sed pone duumvirorum caput, servulus otiosus. Ad pedes lecti mulier velata sedet, duabus servulis illi ministrantibus, altera calathum praeferente, altera alabastrum vel simile quid porrigente. In illis, si nomina supra sculpta conferas, haud difficulter MENODOTUM patrem, MENESTRATUM ipsins filium et DEMETRIAM, alterutrius sive matrem sive uxorem, agnosces. ΜΗΝΟΔΟΤΟΣ legitur etiam in lapide apud BOEKH. C. I. n. 2837. — Vetustior forma literae A, vs. 3 in voce ΔΗΜΗΤΡΙΑ, in Tabula minus recte picta est; est in medio mutila atque ab origine eandem quam ceterae literae A formam habuit.

5. In extremo cippo fastigato ex marmore Pario, cujus olim possessor fuit N. WITSEN, deinde PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 14. n. 13. — Alt. 0,35; lat. 0,19 Cub. Neêrl.

Πατρόδ(ω)ρος
[Ἰ]τῶ[ν]
[Μ]Α

Vs. 1. ΠΑΤΡΟΔΟΡΟC pro ΠΑΤΡΟΔΩΡΟΣ sculptum est. Vs. 2 et 3. Μ . . . || ΤΩΝ . . Oudendorp. l. c.

In fronte exsculptus est vir palliatus stans, pone illum in angulo servus succinctus et otiosus.

De nomine defuncti Oudendorpius dubitanter adjecit, „pro Π posset etiam videri esse Η;" quod nobis non ita videtur, quamvis non definiam utrum sculptum potius sit Μ quam Π. Haec litera in Tabula nostra melius debuisset exprimi, quam factum est.

De tituli aetate parum mihi constat. Quoniam vero litera C pro Σ in lapidibus non ante Ptolemaeum Auletem, Ol. 174, 4 usitata videtur (vid. Letronne, Recherches pour servir à l'histoire d'Egypte, p. 147 seqq. et cf. Franz. l. c. p. 232), titulum seculo I°. non priorem posuerim.

6. In superiore margine cippi ex marmore Pario, quem olim, *Smyrna* ut videtur advectum, possedit Carolus Heidanus, postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorp. l. c. p. 26. n. 28. — Alt. 1,065; lat. 0,50 Cub. Neêrl.

Πώλλα Περίλια Ἰσιδότου

χρηστὴ χαῖρε.

Anaglyphon infra sculptum haec habet: prope columnam, cui calathus insistit, stolata velataque mulier sedet, pedibus scabello impositis. Juxta illam stat serva capsam apertam tenens. Proxime, sed in altera parte, stat alia mulier simili modo vestita; ad hujus pedes itidem serva, flabellum porrigens et pone caput altum scrinium, cui alabastrum, cithara et umbella imposita sunt. In cippi tympano duo serta, duabus rosis a se invicem distincta. Inscriptio supra caput stantis mulieris sculpta est.

Oudendorpius l. c. vs. 1. perperam legit ΙΣΙΔΟΤΗ, sed conjecit ΙΣΙΔΟΤΑ s. ΙΣΙΔΟΤΟΥ legendum esse. Idem ad similia monumenta ablegat haec: Marm. Oxon. p. 78, 81, 129 etc.; Spon. Recherch. des Ant. p. 235 in 4°. supra n. 4 et infra n. 35; Car. Patin. Ant. Monum. Ulpiae Marcellinae, Pat. 1688; Boubier, Explicat. aliquot marm. p. 22, et B. Montfauc. Ant. Expl. T. I. p. 184. Tab. 118 (gemma). Quibus, si lubet,

multa addi possint, v. c. Mus. Veron. p. XLVII—LIII; et STACKELBERG, Gräber der Griechen, Berlin 1835. Tab. I.

Nomen ΠΩΛΛΑ ex latinorum Paula s. Paulla fluxisse, OUDENDORPIUS observat.

7. In cippo fastigato ex marmore Pentelico, prope *Piraeum* reperto et ex supellectile antiquaria L'ESCLUSIANA Acad. L. B. donato ab Excell. viro FALCK, Regis Neêrlandici in aula Belgica summo legato. Ediderunt: REUVENSIUS in BÖTTICHERI Amalthea, T. III. p. 424; LEOP. VON ALTSTEIN in: Messager des Sciences et des Arts, Gand 1823. p. 377—389; WELCKER, Sylloge Epigr. Gr., Bonnae 1828. p. 7. et BOECKH. C. I. n. 800[b]. Ejus quoque meminit J. M. VAN GENT, in Epistola critica de Duridis Samii reliquiis, Lugd. Bat. 1842. 8°. p. 24. — Alt. 0,90; lat. 0,49. Cub. Neêrl.

Φιλοστράτη Φίλωνος
Φίλων Καλλίππο(υ) Αἰξωνεύς.
Ἐνθάδε τὴν πάσης ἀρετῆς ἐπὶ τέρμα μολο(ῦ)σαν
Φαναγόραν κατέχει Φερσεφόνης θάλαμος.
5 *Ἀλκιμάχη*
Καλλιμάχου
Ἀναγυρασίο(υ).

Varietas lectionis. Vs. 4. ΑΡΕΤΣ, perperam C. I. 800[b]. Vs. 8. ΑΝΑΓΥΡΑΣΙΟ, perperam C. I. l. c.

In tympano eleganter exsculptus cernitur acanthus, ex quo tres palmarum rami efflorescunt, optimae Graecae artis opus.

Ad priores editores dum remittimus, unice attingimus BOECKHII observationem, ex qua ultima inscriptionis pars, scilicet tres posteriores versus, circa Olymp. 100 scripta sit, variante scriptura Ο et ΟΥ; prior vero inscriptionis pars paullo vetustior habenda, at Euclide non superior. Sepulcralia pentametra, ejusdem generis ac vs. 4 et 5, vidd. in C. I. n. 805 et 808 et in: Archaeol. Intelligenzbl. 1837. n. 84.

8. In margine laterali fragmenti marmorei, quod pars cippi est et olim in PAPENBROEKII collectione fuit. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 60. n. 85. — Alt. 0,39; lat. 0,18 Cub. Neêrl.

VRAKEC.

Anaglyphon, juxta inscriptionem sculptum, hoc est: in recessu mulier longa veste induta veloque ornata; in basi protome truncata servulae otiosae sed succinctae reliqua est.

Oudendorpius l. c. monumentum recte, ut nobis videtur, Graecum habet. Literas vero, quas perperam puncto diacritico sejunxit et scripsit R. A. R. E. C., recentioris aetatis esse censet. Reuvensius in nota MS. illas spurias judicavit. Equidem tituli obscuri probitatem non defendam. Sed inscriptiones margini laterali insculptae non prorsus insolitae sunt, vide v. c. Caylum, T. V. pl. 117, et Panvin. de lud. Circens. p. 29. Fortasse antiquissima et simul cum sculptura nata inscriptio, olim diffracta, per nostram eamque recentiorem perperam suppleta fuit.

9. In tympano cippi fastigati, qui olim in hortis N. Witsenii fuit, deinde in Museum Papenbroekii migravit. Descripsit Oudendorp. l. c. p. 25—26. n. 27. — Alt. 0,119; lat. 0,465 Cub. Neèrl.

Ὁ δῆ-
μος
: : : : : : είδην Στρατ : : : : : :

Infra inscriptionem stat in recessu vir palliatus, togatus et calceatus, capite vitta ut videtur cincto, vel, ut Oudendorpius l. c. censet, cidari ornato. Manu sinistra volumen tenere videtur. In utroque latere stat servulus succinctus sed otiosus; in angulo, columella sive scrinium, cui cornu copiae insistit uvis aliisque frugibus repletum.

Magna pars tympani deest, et forma quam nunc prodit, quadratario hodierno adscribenda est, qui serra, ut videtur, inscriptionem ita circumcidit, ut praeter id quod Tabula exhibet, nihil supersit. Forma lapidis recte observata, et spatio diffracti tympani bene emenso, tibi persuadeas ad utramque partem tituli sex s. septem literas deficere posse. Oudendorpius vs. 3. sic exhibuit:

. . . . ΛΕΙΔΗΝ ΣΤΡΑΤC . . .

Vox ΟΔΗΜΟΣ infra inscriptionem sculpta est, in corona, ex duobus lauri ramis composita et ab utraque parte rosam habente.

10. In fragmento tabellae marmoreae, ex *Graecia* a Rottiersio transmissae. Alt. 0,115; lat. 0,125 Cub. Neêrl.

: ι ϛμονα : :
: : μενεκϱ : :
: : ϱειτου[ϛ] ε :

11. In Hydria solida marmoris Pentelici, *Marathone* reperta, atque a Rottiersio huc missa. — Alt. 0,56; lat. 0,28 Cub. Neêrl.

: : : *ΔΙ* : : :

In anteriore parte Hydriae exsculpta sunt: mulier diphro insidens, coram qua stat vir barbatus et palliatus manum ipsi porrigens. Supra stantis viri caput olim inscriptio fuit, nunc exceptis duabus literis non amplius dignoscenda. Hujusmodi Hydriae antea, vasorum Marathonicorum nomine dictae, rariores fuerunt; nunc vero, in aliis etiam Atticae regionibus repertae atque in multis Museis obviae sunt. Repraesentationes, quales nostra prodit, ad scenas valedictorias referri solere, constat. Cf. de hoc monumentorum genere Stachelberg, Gräber der Gr. Tab. III. n. 3.

12. In fragmento anaglyphi pulcerrimi ex marmore Pentelico, quod *Athenis* detectum, misit Rottiersius. — Alt. 0,17; lat. 0,10 Cub. Neêrl.

a. : : οκλεϛφι : :
b. *Μεσσ* : :
c. π[ϱ] : : :

Anaglyphi quae superest pars mulierem exhibet tunica eleganter vestitam, capite modio tecto, brachiaque protendentem. In margine tympani legitur inscriptio mutila *a*. In ipso anaglypho, coram facie mulieris, sculpta est inscriptio *b*. Tertia *c*, haud procul a mulieris manu dextra sculpta est. Inscriptiones *b*. et *c*. mutilae sunt a dextra parte.

Literarum formae Λ et Σ haud dubie ad antiquissimas referendae sunt; posterior, quantum ex relictis monumentis effici potest, usque ad Ol. $\frac{85}{86}$ illam formam reti-

nuit, cf. FRANZ. l. c. p. 110; cui aetati non refragatur artis ipsius anaglyphi stilus. Ab anaglyphi explicatione et inscriptionum restauratione abstinemus, quod marmor utrimque mutilum est. — Eadem inscriptio esse videtur quam edidit BOECKH. C. I. n. 873, ex schedis GELLII a ROSIO missis; ubi tamen pro ΜΕΣΣ plenius legitur ΜΕΣΣΣ et pro Π[Ρ], vetustiore scriptura ΠD.

13. In basi fragmenti marmoris Pentelici, *Smyrna* oriundi. Olim attulit Comes DE HOCHEPIED; possedit deinde N. WITSENIUS, postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 57. n. 75. — Alt. 0,65; lat. 0,47 Cub. Neèrl.

: : : : : : : [τ]ην
: : : : : : : —

Anaglyphon supra sculptum, quatenus superest, exhibet virum sedentem pedesque scabello impositos habentem. In utroque latere servus. — Inscriptio, quae duobus tantum versibus constitisse videtur, a sinistra parte 7 vel 8 literas amisit aut amittere potuit; a parte dextra integra est.

14. In fragmento laminae marmoreae coloris caerulei, quod ex *Italia* olim attulit J. DE WITT, postea in collectionem PAPENBROEKII migravit. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 16. n. 16. — Alt. 0,105; lat. 0,115 Cub. Neèrl.

: : : : : : : : : : : : : : : : :
: : : νω πένθος (ἄ)ρατο
: : : αρην βιότου τόσσος
: : : τύμβε εὔδημας
: : : νθα πετρέσσιν
5 : : : : εἰς μῆνας
: : : : [ο]νον βασκα
: : : : ιος οὐδεπε
: : : : θον ἔχων.

Varietas lectionis OUDENDORPIANAE. Vs. 6. ....ΟΝΟΝ. Vs. 7. .... ΝΕΟΣ. Vs. 8. ....: ΤΘΟΝ.

Quot literae desint, definiri nequit; tituli vix tertia pars videtur superesse. Multa idcirco obscura sunt, atque fateor lapidem mihi aliquando visum esse suspectae fidei; quo facere etiam possint mixtus usus literae Θ cum puncto et cum lineola transversa sculptae, et insolens forma literae B vs. 3. Sed nihil definio, neque titulum (sine dubio metricum) in integrum reddere conor. Oudendorpius l. c. inscriptionem epigramma elegiacum continuisse conjecit.

INSCRIPTIONES EX VARIA SUPELLECTILE DESUMTAE.

TAB. III.

2. Tessera aenea, quae judicialis dici consuevit, ex sepulcro Attico eruta atque anno 1826 a Rottiersio huc missa. Sua magnitudine et forma exhibetur.

[B] *Φρυνοκλῆς Θριάσι(ος).*

Sepulcrum, in quo lamina reperta est, continebat sarcophagum marmoreum, tegulis tectum, in quo defuncti ossa deposita jacebant, ut ore mihi retulit Rottiersius. Similes laminas in *Attica* repertas, vide apud Dodwellum, Travels Vol. I. p. 433 et 437; Boekh. C. I. n. 207—210 et in Archaeol. Intelligenzbl. 1837. p. 101. n. 6, 7°; cf. Franz. l. c. p. 345. Nostra vero a ceteris, huc usque descriptis, differt cum inscriptione tum his duabus partibus, quod noctua, quae sub litera initiali B (nota ut videtur numerali) impressa est, inscriptas circum se literas nonnullas habet; tum, quod praeter foramen majus octodecim minora habet.

Quare hujusmodi laminae tesserae judiciales habendae sint, nondum mihi patet. Nostra ita comparata est, ut videatur alii rei illata seu assuta fuisse, v. c. cippo, parieti, vestimento. ΦΡΥΝΟΚΛΗΣ quis fuerit, latet; ne nomen quidem alibi reperi. ΦΡΥΝΟΣ et ΦΡΥΝΑΙΟΣ minus insueta nomina sunt, vidd. Boeckh. Nav. X. c. 75. f. 28. XIV. a. 97, 115, 135, et Franz. l. c. p. 111 seqq. Nomen ΘΡΙΑΣΙ(ΟΣ) tribum indicare dubio caret; cf. C. I. n. 105, 508 et Ἐφημ. Ἀρχ. 1839. n. 142. Forma literarum et scri-

bendi ratio hujusmodi sunt, ut ad Ol. 90 referri possint; literae imprimis congruunt cum literis inscriptionis, quam communicavit Rossius in: Kunstblatt, 1840. n. 37. p. 147.

3. Incisum in anteriore parte *hermae* muliebris e terra fictili flavescente eleganter fabricatae, *Athenis* a Rottiersio emtae atque anno 1823 huc missae. — Alt. 0,15; lat. et crass. 0,023 Cub. Neêrl.

Τσκ
ραν
σ
ανι
κητ
ο

Sigillum et inscriptio Reuvensio aliquando suspecta visa sunt. Sed huic sententiae obstare videtur, quod eo tempore, quo Rottiersius sigillum emit (sic ore mihi retulit Illustris peregrinator), *Athenis* non erant falsarii, nec, si fuissent, lucri aliquid inde exspectare potuissent, quoniam paucis obolis emebatur; tum, quod supersunt vetusta albi coloris vestigia, quo colore ab origine obducta fuit. At fateor inscriptionem difficultates habere, quas solvere nequeo.

Mulieris eleganter crispata imago convenit cum imaginibus Anniae Faustinae, Marc. Aurel. Antonini uxoris; sed magis etiam cum imagine in lucerna, qnam olim *Liburno* ad nos misit Humbertius, servata in Museo, quae adscriptum habet nomen ANIA; vid. Tab. XXVIII. n. 8. — Succurrit conjectura, qua vs. 4, 5 et 6 juncti legerentur ANIKHTO(Σ); vs. vero 1—3 nomen proprium contineret, v. c. Vespasiani. Constat epitheton ANIKHTOΣ ad titulos imperatorum posteriorum pertinuisse; cf. Franz. l. c. p. 100 et 103. Sed possit etiam mystici aliquid literis subesse, Gnosticorum fortasse somnium. Equidem peritiorum judicio causam relinquo.

4. In fundo lucernae, e terra fictili fabricatae atque anno 1826 a Rottiersio *Smyrna* huc missae. — Alt. 0,035; diam. 0,09 Cub. Neêrl.

'Ελπιδηφόρου.

Inscriptio anaglyptice molli luto impressa est. — In superficie cernitur amor alatus juxta aram, cui cantharus insistit; sinistra citharam tenet, dextra telum protendit. Imago fortasse spectat ad nomen ЄΛΙΙΙΔΗΦΟΡΟΥ (pro ΕΛΠΙΔΟΦΟΡΟΥ). Cf. TH. PANOFKA, von einer Anzahl ant. Weihgeschenke und den Beziehungen ihrer Geber etc., Berolin. 1840.

5. Scalptum in manubrio strigilis aeneae, in ruderibus *Aexonensibus* repertae atque a ROTTIERSIO huc missae. Longa est 0,09 Cub. Neêrl.

'Αγλαοῦ.

Prima litera A lineola transversa caret. Inscriptio utrimque ornata est pampino elegantissime sculpto. Nomen videtur esse aut ejus qui strigilem fecit, aut qui possedit.

6. Anaglyptice fusum in glandula missili plumbea, in ruderibus Acropolis *Athenarum* reperta atque a ROTTIERSIO huc missa. Glandula sua magnitudine et forma in Tabula depicta est.

Δημητ[ρ]ί(ου).

Nomen esse videtur aut ejus qui fecit, aut qui illam emisit.

7. Glandula missilis plumbea, in ruderibus Acropolis *Athenarum* reperta atque a ROTTIERSIO transmissa. Glandula sua forma atque magnitudine in Tabula picta est.

Δέξα[ι].

Literae anaglyptice fusae sunt. In aversa parte fulmen conspicitur, ut in similibus glandulis saepius; cff. STUART, Antiq. of Athens T. III. p. 27, et DODWELL, Tour to Greece, Tom. II. p. 159; all. Vix monere opus est δέξα[ι] enunciationem ejus esse, qui miserit glandulam; Latine dixeris *accipe;* cf. Tab. XXVI. 19.

8. Pondo, ut nobis videtur, plumbeum, *Athenis* in Acropolis ruderibus repertum atque a Rottiersio transmissum.

Notae, quibus insignitur, ΔΙ-Ι- numerales esse et duodecim drachmas indicare videntur. Monumentum sua magnitudine et forma in Tabula exhibetur; sed extrinsecus supersunt vestigia fusci sive flavescentis coloris, quo olim obductum fuit; forsitan eo consilio ut caveretur, ne ponderis gravitas per fraudem deminueretur. Vide num stabile pondo sit, qualia in Acropoli servari solebant, vid. Boeckh. Staatsh. der Ath. II. p. 301. §. 25 et 354. §. 8. In trutina positum, pendet 50,54 *grammas;* ita ut fere respondeat ponderi Attico XII drachmarum. Nam cum drachma Attica aequalis censeatur 82, 2 granis Parisinis, atque 18,82715 grana Parisina unam *grammam* efficiant (Boeckh. Metrol. Unters. p. 15); sequitur, 50, 54 *grammas* aequales esse 11,577 228 etc. (i. e. 11½ et quod excurrit) drachmis Atticis. — Si tetradrachmum cum Boeckhio aequale censeas 328,8 granis Parisinis, ex illa computandi ratione nostrum pondo efficeret 11,74 et quod excurrit drachmas.

9. Anaglyptice impressa litera Δ in fundo lucernae, e terra fictili fabricatae, atque e *Graecia*, ut videtur, oriundae.

De his notis, saepe numeralibus, vid. Gerhard. Berl. Ant. Bildwerke, n. 1605, et Journal des Savants 1838. 8; cf. Mus. Lugd. Bat. Insc. Etr. Tab. IV. n. 54.

10. Anaglyptice impressa litera H in fundo lucernae fictilis, anno 1826 a Rottiersio *Smyrna* huc missae.

Lucerna nigro colore obducta est. Nota numeri *octo* esse possit.

11. Anaglyptice impressa litera Δ sive P vetustissima in fundo lucernae, e terra fictili fabricatae, atque e *Graecia*, ut videtur, oriundae.

TAB. VIII.

1. In Hydria (ex denominatione Gerhardi, Berlin's Ant. Bildwerke, Berol. 1836. n. 13), collectionis Principis Caninatis n. 2305, vid. ejus Museum Etrusque p. 11. — Alt. 0,395; lat. 0,275 Cub. Neèrl.

Nomina sunt:				
	a. ΘΕ[ΣΕΥΣ].		*h.* [Φ]ΑΙΝΙΠΠΟΣ.
	b. [ΜΙΝΟΤΑ]ΥΡΟΣ.		*i.* ΑΣΤΥΔΑΜΑ.
	c. ΑΡΙΑΝΝΕ.		*k.* ΤΙ : : ΚΕ.
	d. ΜΙΝΟΣ.		*l.* ΧΑΙΤΟΣ.
	e. [Δ]ΕΝΟΔΙΚΕ.		*m.* ΓΕΧΚΟΣ.
	f. ΚΑΛΙΚΡΑΤΗΣ.		*n.* ΧΑΙ[Τ]Ο[Σ].
	g. ΠΡΟΚΡΙΤΟΣ.		*o.* ΣΦΕΚΙΣ.

Inscriptiones fusco colore in fundo flavescente pictae sunt. Imagines nigrae, hic illic rubro variatae, tribus ordinibus distingui possunt. Superior ordo exhibet quaedam ex Thesei historia; medius, animalia symbolica, sphinges et tigrides; inferior, Sirenes, leones, tigrides. Superioris ordinis imaginibus nomina eo modo adscripta sunt, ut nunc a dextra ad sinistram, nunc retrorsum legenda sint; omnia vero temporis iniquitate plus minus detrita; quare nonnulla eorum, nisi imago adpicta fuisset, restitui a nobis non potuissent.

Imagines superioris ordinis in sex scenas dividi posse videntur. In media scena Theseus Minotaurum interficiens, nominibus adpositis *a.* ΘΕ[ΣΕΥΣ] et *b.* [ΜΙΝΟΤΑ]ΥΡΟΣ. Adstat ab utraque duelli parte mulier stolata coronam praeferens. Alteri harum mulierum adscriptum legitur nomen *c.* ΑΡΙΑΝΝΕ (i. e. ΑΡΙΑΔΝΗ). A dextra parte hujus scenae Minos, stans pallioque stellato indutus ac leniter inclinans coram figura muliebri, sellae insidente atque coronam tenente. His nomina adscripta sunt *d.* ΜΙΝΟΣ et *e.* [Δ]ΕΝΟΔΙΚΕ (i. e. ΔΕΙΝΟΔΙΚΗ). A tergo sedentis mulieris, duo stant viri in speciem admirantium dextram tollentes; priori nomen est *f.* ΚΑΛΙΚΡΑΤ[Ε]Σ (i. e. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΗΣ), posteriori *g.* ΠΡΟΚΡΙΤΟΣ. A sinistra parte Minotauricidii stat Mercurius, ut videtur, dextram simili modo quo superiores attollens; nomen adscriptum non amplius detegere potui. Mercurium sequitur aliquis, veste

stellata indutus, nomine *h*. [Φ]ΑΙΝΙΠΠΟΣ. Denique duae sibi invicem oppositae mulieres, ut videtur, stola indutae, inter se colloquentes, altera nomine *i*. ΑΣΤΥΔΑΜΑ insignita, altera nomine *k*. ΤΙ::ΚΕ: posterior otiosas in dorso manus gerit. Duo galli gallinacei sibi invicem oppositi, hic nomine *l*. ΧΑΙΤΟΣ, ille nomine *m*. ΓΕΧΚΟΣ, ab una parte agmen claudunt; ab altera duo alii galli *n*. ΧΑΙΤΟΣ et *o*. ΣΦΕΚΙΣ dicti.

Cum his picturis conferri meretur similis Thesei et Minotauri mythus, in vasculo Italo-Graeco, quod edidit O. Jahn, in opere: Vasenbilder, Hamburgi 1840. in 4°. Tab. II. Hujusmodi varias ejusdem mythi repraesentationes ad normam Tragoediarum deperditarum factas esse, dudum observavit Welckerus, et post illum Jahnius aliique. Ex literarum formis antiquissimis, imprimis A et Σ; ex usu literarum E pro H et O pro Ω; ex scribendi ratione; ex antiquo denique vasculi stilo, efficere licet, inscriptiones Ol. 85 non esse inferiores.

2. In Amphora (Gerhard. l. c. n. 4), collectionis Principis Caninatis n. 802. Nomina in Museo Etrusque Tab. XX. n. 802 edita sunt, sed minus accurate quam in nostra Tabula exhibentur. — Alt. 0,395; lat. 0,245 Cub. Neèrl.

Nomina sunt:		
	a. ΜΥΡΟ.	*g*. ΚΑΥΤΟ.
	b. [Σ]ΙΜΟΣ.	*h*. ΗΙΠΙΑΙΟΣ pro ΗΙΠΠΙΑΙΟΣ.
	c. ΓΙΟ.	*i*. ΧΑΝΘΟ.
	d. ΑΝΤΙΕ[Σ].	*k*. ΔΟΡΚΙ[Σ].
	e. ΜΟΛΠΕ.	*l*. ΨΟΡΑ.
	f. ΡΑΣΟΝ	*m*. ΟΓΑΤΙΕΣ.

Imagines, quibus vasculum ornatum est, nigro colore, sed rubro variato, pictae sunt in fundo rutilante. Seriem efficiunt Satyrorum et Baccharum alternatim et libidinoso motu tripudiantium; singulis nomen adpictum est. — Baccha nomine *a*. ΜΥΡΟ; ante illam Satyrus *b*. [Σ]ΙΜΟΣ; huic opposita Baccha, nomine *c*. ΓΙΟ; tum Satyrus, nomine *d*. ΑΝΤΙΕ[Σ]: hic accedit ad Baccham, cui nomen *e*. ΜΟΛΠΕ. Haec ab altera parte appropinquantem habet Satyrum, cui nomen *f*. ΡΑΣΟΝ; huic proxima Baccha, *g*. ΚΑΥΤΟ. Hanc adgreditur Satyrus *h*. ΗΙΠΙΑΙΟΣ; post hunc

Baccha *i*. XANΘO, quam insectari videtur Satyrus, nomine *l*. ΨOPA (?). Baccha denique *k*. ΔOPKIΣ, per Satyrum *m*. OΦATIEΣ, petitur. — Supra hunc chorum, collo amphorae proxima, alia series figurarum conspicitur, ex octo viris composita, vivida item actione saltantium.

Inscriptiones vetustissimis accensendas esse, dubio caret. Memorabiles imprimis sunt: aspiratio Ⱶ, quae priorem literam nominis *d*. ⱵIΠIAIOΣ efficit et cum vetustissima forma literae Θ (|☰|) convenit, qualis exhibetur in inscriptione Mistrae reperta, vid. Ross. Insc. Gr. Ined. Fasc. I. n. 33, cf. n. 7; tum forma literae Ψ in nomine *l*. ΨOPA, quae rarissima est et ad currentis stili rationem composita. Hanc in lapidibus non ante Ol. 158 legi, perhibuit Franzius, Elem. Ep. Gr. p. 230.

3. In Amphora (Gerhard. l. c. n. 4), collectionis Principis Caninatis n. 360. — Alt. 0,375; lat. 0,25 Cub. Neërl.

Vocabula sunt:

A.		B.	
a.	KIKIKIK[I?].	*a*.	KIKIKI.
b.	KIK:::::::K[I?].	*b*.	KIKI.
c.	IXMAΘA s. AΘANXI s. AΘANTI etc.	*c*.	KIKIKI[KI?].
d.	KIKIKIKI[KI?].		

Imagines nigro colore, rubro variato, pictae in fundo rutilante, in tres ordines dividi possunt. In superiore ordine, qui circa collum conspicitur, duae figurae alatae. In ordine medio, ab una amphorae parte, duo milites gravis armaturae, quorum unus in parma signum tripodis gerit, dimicant supra tertium, humi sub scuto procumbentem, mortuum, ut videtur. Inter capita dimicantium legitur A c. IXMAΘA(?), inter pedes A *b*. KIK:::::::K[I?]. A tergo utriusque dimicantis, stat mulier hastam s. sceptrum tenens; altera a tergo scriptum habet, A *a*. KIKIKIK[I?], altera A *d*. KIKIKIKI[KI?]. Illam mulierum sequitur eques, hasta et galea armatus, hanc figura stolata. In aversa amphorae parte, tres viri libidinoso motu gestuque, inter duas sphinges. Unus eorum adscriptum habet B *a*. KIKIKI, alter B *b*. KIKI, tertius B *c*. KIKIKIK[I?]. Infimus ordo continet leonum, tigridum et Sirenum imagines.

Inscriptiones extricare, difficillimum. Si vocabulum Ac. ΑΘΑΝΤΙ legendum esset, suspicetur aliquis, illud per ΑΘΑΝΑΤΟΙ restaurandum esse; sed conjecturis in his rebus obscurissimis abstinendum est. Adeo etiam non assequor, quid sibi velint repetita vocabula KIKIKI. Num cachiuni exclamationes? Ex artis stilo et literarum forma judicantes, titulos ad eandem aetatem, ex qua sunt duo priores, referimus.

4. In calice (Gerhard. l. c. n. 31), collectionis Principis Caninatis numerus est 428. — Alt. 0,135; lat. 0.21 Cub. Neèrl.

Vocabula sunt:

a. ΧΕΝΟΕΝΟΕ sic.
b. ΑΕΥΣΕΥ.
c. Π(Ε)ΡΣΕ.
d. ΠΕΝΟΕ[Υ] sic.

Imagines, quae calicem ornant, pictae sunt fusco colore, rubro alboque variato, in fundo flavo, et in duas scenas distingui possunt. In una calicis parte cernitur vir stolatus, qui mulierem ipsum insequentem respicit; mulier dextram, in speciem monstrantis, attollit. Inter utrumque legitur *a.* ΧΕΝΟΕΝΟΕ. Sequitur miles, gravis armaturae, dextra binas hastas, sinistra parmam gerens; hic antegreditur juvenem equo insidentem dextraque hastam tenentem; juxta equitantem, equus pari gradu ingreditur, infra legitur *b.* ΑΕΥΣΕΥ. Equitantem sequitur vir gravis armaturae, binas hastas et parmam, bovino capite insignitam, tenens. Mulier denique stolata, pone cujus caput legitur *c.* Π(Ε)ΡΣΕ, ac vir simillimus illi, qui chorum duxerat, agmen claudunt; ante viri faciem legitur *d.* ΠΕΝΟΕΥ. In altera parte calicis haud valde dissimilis repraesentatio comparet. Vir barbatus et mulier stola stellata induta chorum ducunt, obviam venientes juveni equo insidenti, dum alter equus juxta ingreditur. A tergo equitantis stat miles gravis armaturae, hastas in terram inclinatas tenens. Duae denique mulieres, tunica et theristrio indutae, agmen claudunt. — Sub ansis calicis, tigris et olor.

Antiquus picturarum stilus et literarum formae, in quibus antiquissimum Koppa, luculento testimonio sunt, vasculum ad vetustissimum genus pertinere.

5. In Amphora (Gerhard. l. c. n. 2); collectionis Principis Caninatis numerus est 526. — Alt. 0,635; lat. 0,415 Cub. Neêrl.

TON ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΟΝ, i. e. *τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων* (sc. *εἰμί*).

Imagines, quibus vasculum distinctum est, nigro colore pictae sunt, in fundo rubro. In una parte Minerva, stans inter duas columnas, ludorum metas, quarum capitibus insistunt galli, ludorum insignia; penes priorem columnarum legitur inscriptio. Ipsa dea in parma gerit Pegasi insigne et hastam vibrat. In altera amphorae parte duo ephebi luctantes, adstante ludimagistro. Inscriptiones duae simillimae, pictae cernuntur in duabus aliis amphoris ejusdem fere magnitudinis, stili et originis, in eodem nostro Museo asservatis. Plures similes, in similibus vasculis, vidd. in Dodwell. Trav. I. p. 457, et Boeckh. C. I. n. 406 et 2035, all.

De his vasculis, quae antea Panathenaica dici solebant, vidd. etiam C. O. Müller, de origine pictorum vas. etc. 1831; Gerhard. in Annal. dell' Instit. de Corrisp. Archaeol. Roma, 1831; Boeckh. in bullet. dell' Instit. di Corr. Archaeol. 1832. n. IV. d. 91 seq.; Brönsted, Memoire sur les Vases Panath. 1833. Gerhard, Berlin's Ant. Bildw. Berol. 1836.; Kramer, Styl u. Herk. der Gr. Vas. Berl. 1837. et Franz. l. c. p. 101. n. 42.

6. In Amphora (Gerhard. l. c. n. 4); Principis Caninatis numerus est 34. — Alt. 0,43; lat. 0,285 Cub. Neêrl.

Vocabula sunt: *a.* ΧΥΡΙ. *b.* Μ(Α)ΧΕ ΔΡΙΟΔΕ.

Imagines nigro colore pictae sunt in fundo rubro. In una parte mulier respiciens, et fugienti Aeneae viam, ut videtur, monstrans. Aeneas patrem Anchisen humeris portat, dextraque binas lanceas tenet; Anchises lanceam vibrat; fugientem sequitur puer Ascanius.

Inscriptionum (a dextra ad sinistram scriptarum) prior, *a.* XVPI, picta est inter Aeneae pedes. Inscriptio *b.* M(A)XE (sic) ΔΡΙΟΔΕ, inter Aeneam et mulierem legitur.

In altera amphorae parte, Bacchus, fronte hedera cincta, dextra ramos, sinistra cantharum tenens, inter duas mulieres (Bacchas ut videtur), quae eleganter vestitae, et hedera redimitae, ad eum accedunt; altera, quae ad dextram Bacchi est, et quam respicit deus, dextra poculum tenet.

7. In Hydria (Gerhard. l. c. n. 13), quam e *Graecia* attulit Rottiersius. — Alt. 0,194; lat. 0,065 Cub. Neërl.

[K]ΛΛΟΣ ΥΜΝΟ[Σ] sic.

Imagines pictae sunt nigro colore in fundo rubro.

Mulier stolata, sinistra facem, ut videtur, accensam tollens, respicit metam, cui ara anteposita est. Arae inscripta esse videtur IO, acclamantis vox, quae in Tabula nostra omissa est. Inscriptio est in meta, atque ita posita, ut quatuor priores literae a sinistra ad dextram, quatuor posteriores a dextra ad sinistram legendae esse videantur. Si recte videmus, tota inscriptio legatur: IO ΚΑΛΟΣ ΥΜΝΟΣ.

8. In Hydria (Gerhard. l. c. n. 13); collectionis Principis Caninatis n. 332. — Alt. 0,47; lat. 0,31 Cub. Neërl.

Inscriptiones sunt: *a.* HO IOΛE s. IOΛΑ HO.
b. AΘΕΝΑΑ. *c.* ΚΑΛΕ.

Imagines nigro colore pictae sunt in fundo rubro. Proxime sub vasculi collo, octo conspiciuntur viri armati ilque pugnantes. In inferiore serie Iolaus, ut docet nomen IOΛE s. IOΛΑ, curru quadrigarum vectus; ante ipsius os: HO; juxta equos Minerva, ut ex adscripto nomine *b.* AΘΕΝΑΑ intelligitur; ante equos ephebus, supra illos vox *c.* ΚΑΛΕ. Haec pictura hanc ob causam imprimis memorabilis est, quod nomen Iolai adscriptum habet. Hinc igitur aliae similes vasorum picturae, nomine Iolai carentes, illustrari poterunt. Legitur tamen idem nomen in vasculo Musei Berolinensis; vid. Gerhard, Berlin. Vasenbilder, p. 182. In nostri va-

sculi pede rasa est figura, quam exhibui in: Mus. Lugd. Bat. Insc. Etr. Tab. IV. n. 55.

9. In Hydria (Gerhard. l. c. n. 13); collectionis Principis Caninatis n. 57. — Alt. 0,135; lat. 0,33 Cub. Neèrl.

Inscriptiones sunt: *a.* ΟΙΛΟΣΣΕ sic. *b.* ΚΑΛΟΣ. *c.* ΑΝΤΙΜΕΝΕΣ.

Imagines pictae sunt nigro colore in fundo rubro, atque in tres orbiculos dividi possunt. In superiore orbiculo cernuntur: miles, qui mulierem tristem consolari videtur; sequitur alia mulier, quadriga vecta et lora tenens; juxta equos ingreditur senex, in propinquo alius, sed sellae insidens, a cujus tergo stat Hermes, dubitantis, ut videtur, in speciem; mulier denique stolata agmen claudit. — In medio orbiculo, templum, in quo duo viri conspiciuntur se lavantes, quorum alter capiti inscriptum habet *b.* ΚΑΛΟΣ, et a tergo *c.* ΑΝΤΙΜΕΝΕΣ. Extra templum, ad utrumque ejus latus, sub lauris, duo viri sese unguentes, vestimentis in arboribus suspensis. A tergo viri, qui ad templi partem sinistram stat, legitur *a.* ΟΙΛΟΣΣΕ. In infimo orbiculo, venatio cervarum picta est. Notam in hoc vasculo rasam memoravimus in: Musei Lugd. Bat. Insc. Etrusc., p. 27. n. 42.

10. In Hydria (Gerhard. l. c. n. 13); collectionis Principis Caninatis n. 397. — Alt. 0,325; lat. 0,26 Cub. Neèrl.

Vocabula sunt:	A		B	
	a.	ΠΟΝΟΝΟ sic.	*a.*	ΧΑ[Θ]ΝΕΙ s. ΧΑ[Θ]ΜΕΙ sic.
	b.	ΠΟ[Θ]Ν[Ο]Ι sic.	*b.*	ΝΟΝΟΝ sic.
	c.	ΤΥΘΑ sic.	*c.*	ΠΟΝΟΣ sic.
	d.	ΠΟΝΟΝΙ sic.	*d.*	ΤΥΘΑ sic.

Imagines pictae sunt nigro colore, rubro alboque variato, in fundo rubro, et in duas series distinguendae sunt, superiorem et inferiorem. In serie superiore Amazones cum Hercule ejusque asseclis, viris armatis, pugnantes, hoc ordine: duo armati hastis dimicant, quorum prior adscriptum habet: A *a.* ΠΟΝΟΝΟ, alter *b.* ΠΟ[Θ]Ν[Ο]Ι. Hos sequitur Amazone, hasta in illos invehens. Tum Hercules, cum Amazone alia

dimicans; pone HERCULEM legitur, c. TYΘA; infra Amazonem, *d.* ΠΟΝΟΝΙ. Vir denique graviter armatus, cum Amazone pugnans, agmen claudit.

In inferiore serie conspiciuntur: vir et mulier stantes in biga; pone mulieris caput legitur B *b.* ΝΟΝΟΝ; inter vectos et equos scriptum est *c.* ΠΟΝΟΣ. A tergo vectorum stat vir barbatus stolatusque, fronte hedera cincta, in speciem applaudentis; juxta illum legitur *a.* ΧΑΘΝΕΙ s. ΚΑΘΜΕΙ s. simile quid. Juxta equos, sed vectis opposita, stat mulier, sublatis manibus flosculos seu ramos protendens; inter mulierem et equos legitur *d.* TYΘA. Mulierem hanc sequuntur duae aliae mulieres, stolatae.

In Tabula praetermissum est fragmentum inscriptionis, pictae in vasculi fictilis fragmento, a ROTTIERSIO anno 1820 in *Graecia* reperto. Reliquiae figurarum et literarum docent picturam esse factam nigro colore in fundo rubro. Literae superstites sunt:

M
A
Y
K

TAB. VI.

A et A*. Rasae in capsula rotunda, operculo praedita, e terra fictili formata et nigro obducta colore; anno vero 1820 a ROTTIERSIO in *Graecia* emta atque huc missa. — Alt. et lat. 0,055 Cub. Neêrl.

Inscriptio A. in interna parte operculi rasa est; A*. extrinsecus, fundo ipsius capsulae; utraque vero inscripta antequam vasculum coqueretur. — Prior *undecim drachmarum*, posterior *unius drachmae* et *oboli* significationem habere videtur. — Ad haec sigla aliquando illustranda conducere fortasse potest notitia similis capsulae ejusdem formae, fabricationis et originis, in eodem nostro Museo asservatae, sed minore magnitudine. In ea quatuor reperti sunt scrupuli sive latrunculi ex terra fictili confecti, sed, uti ex vestigiis nonnullis patet, auro olim obducti, qui qui-

dem ludo cuidam inserviisse videntur. Illa capsula VII latrunculos ejusdem magnitudinis continere potuit. Nostra vero, si olim similes latrunculos inclusos habuit, numero XXIV continere potuit.

B. ⊓ sic. C. XI sic. Rasae in salino, ni fallor, ex terra fictili fabricato, nigro colore obducto, et anno 1820 a ROTTIERSIO e *Graecia* misso. — Alt. 0,055; lat. 0,085 Cub. Neërl.

Nota B. in parte exteriore, C. in fundo interiore scripta est, terra jam cocta. — Similis nota atque B, sed addita litera I, rasa est in fundo canthari, in sepulcro prope *Tripolin* reperti, atque a Viro Nob. COCQ VAN BREUGEL, consulis Neërlandici nomine ibidem res mercaturae curante, huc missi. Hic cantharus altus est 0,085; lat. 0,075 Cub. Neërl., atque imagines rubras in fundo nigro pictas exhibet has: puer nudus stat inter duas mensas, cantharo et ferculis (?) instructas, dextraque praefericulum, ut videtur, protendit, sinistra pateram inversam tenet. Nota inscripta est antequam terra coqueretur. Haud absimiles notas vide quoque in: Musei Lugd. Bat. Insc. Etr. Tab. IV. n. 58; et in Additamento, n. 9 et 11.

D. X. Rasa in fundo interiore vasculi, nigri coloris, quod *Monte Alcinio* emit HUMBERTIUS. — Alt. 0,045; lat. 0,115 Cub. Neërl.

Similis nota rasa est in fundo interiore alius huic similis vasculi, nigri coloris, *Volaterris* ab HUMBERTIO emti, itidemque in Museo nostro asservati. Inscriptio facta est postquam terra cocta esset.

E. I. Rasa in fundo interiore vasculi nigri coloris, quod *Volaterris*, ut videtur, repertum atque ab HUMBERTIO huc missum est.

INSCRIPTIONES IN TABULIS NON DELINEATAE.

Vid. Praef. p. 11—12.

1. In fronte arulae marmoreae quadratae, cui insidet upapa, eleganter sculpta. In utroque arulae latere, victoria alata. Possedit primum Italus venerabilis F. Bianchi, a quo dono accepit Bavariae Princeps Violanta Beatrix; post hujus mortem emit Gorius, qui dedit Comiti de Thoms. Hinc accepit illustrissimus Princeps Arausiacus, Gulielmus IV, summus olim Neêrlandiae gubernator. — Alt. 0,75 Cub. Neêrl.

[A]ΡΧΑΤΗC
ΠЄΤΡΙΟC.ΠΟ
ΜΑΝΤΙC.ΜΑΝ
ΤЄΟΑЄΤ.Δ.ΑC
CAPIΩN

['Α]ρχάτης Πέτριος, ὁ μάντις, μαντεο αετ(ὸν) Δ. ἀσσαρίων (ἀνέθηκε).

Edidit et fuse illustravit Reuvensius in opere: Lettres à Mr. Letronne, sur les Papyrus bilingues et Grecs etc., du Musée d'Antiquités de Leide; Leide, chez S. et J. Luchtmans, 4°. 1830, Ep. II. Cf. Déscription raisonnée des Monum. Egyptiens du Musée, par C. Leemans, p. 30. n. 434*.

2. In basi cippi fastigati ex lapide calcario, quem in *Aegypto* repertum ex collectione Anastasiana emit et misit Humbertius. — Alt. 0,36; lat. 0,36 Cub. Neêrl.

ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥΜΗ͂ΤΥΡΑΝΙΔΟC.
(Τ supra Η)

'Αλεξάνδρου μητ(ρός) Τυράνιδος sic.

Supra basin sculpta sunt haec: in fastigio discus alatus, supra signum coeli; inferius, ANUBIS, defunctum ducens coram throno OSIRIDIS, cujus a tergo soror ISIS. Cf. Déscript. rais. p. 300. n. 129, ubi inscriptionem vertit scriptor: » D'Alexandre le fils de Tyranis."

3. In cippo marmoreo, ex *Aegypto* oriundo, atque ex Anastasii collect. huc advecto. — Alt. 0,35; lat. 0,35 Cub. Neèrl.

ΣΕΜΝΗ.ΜΕΝΑΝ
ΔΡΟΥΧΡΗ.ΣΤΗΚΑΙ
ΑΛΥΠΕ.ΧΑΙΡΕ

Σέμνη Μενάνδρου· χρηστὴ καὶ ἄλυπ[ε] χαῖρε.

Supra inscriptionem sculpta est defuncta, cubans in lecto, adstante mensa sepulcrali, ad quam accedit puella juvenis vel serva. Formulam *χρηστὴ καὶ ἄλυπε χαῖρε*, vide etiam C. I. n. 2328[b] et 3261, quos nondum editos excitavit FRANZIUS Elem. Ep. Gr. p. 339. Erravit quadratarius, quod vocem ΧΡΗΣΤΗ puncto diacritico separavit et pro ΑΛΥΠΕ sculpsit ΑΛΥΠΕ.

4. In cippo marmoreo, ex *Aegypto* oriundo, atque e collect. Anastasii allato; cf. Déscript. rais. p. 300. n. 131*. — Alt. 0,42; lat. 0.28 Cub. Neêrl.

ЄΥΘΗΝΙΑ
ЄΥΨΥΧΙ
L $\overline{\text{K}}$ϛ

Εὐθηνία εὐψύχι Δ(υκάβαντας) Κϛ.

Vs. 2. ΕΥΨΥΧΙ pro ΕΥΨΥΧΕΙ; quae formula rarior quoque est pro ΧΑΙΡΕ, sed interdum legitur, vid. C. I. n. 2204.

5. In cippo marmoreo fastigato, ex *Aegypto* oriundo atque e collect. Anastasii huc misso; cf. Déscript. rais. p. 300. n. 132*. — Alt. 0,29; lat. 0,155 Cub. Neêrl.

CAPAΠIAC
ЄΥΨΥΧΙ
L θ

Σαραπίας εὐψύχι Δ(υκάβαντας) θ.

6. In cippo oblongo lapidis arenacei, ex *Aegypto* oriundo, atque ex Anastasii collect. allato; cf. Déscr. rais. p. 300. n. 133. — Alt. 0,18; lat. 0.14 Cub. Neêrl.

✝ ЄΝΘΑΚΑΤΑΚΟΙ
ΤЄΗ̈ΜΑΚΑΡΙΑ
ΜΑΝΜΑЄΤЄΛ(ΕΥΤΗΣΕΝ)
ΜΧΟΙΑΧΙ (with Η above Μ)
ΙΝΔ.ΚΖΑΝΑ
ΠΑΥCΟΝΤΗΝ
ΨΥΧΗΝΑΥΤΟΥ
[Ε]ΙCΚΩΛΠΗCΑ
[ΒΡ]ΑΑΜΚ(ΑΙ)ΙCΑ
[ΑΚ]Κ(ΑΙ)ΙΑΚΩΒ ✝

✝ *Ἔνθα κατακοιτε(ῖ) ἡ μακαρία Μάνμα· ἐτελ(εύτησεν) μη(νὶ) χοιαχ Ι· Ἰνδ(ικτιῶνος) ΚΖ· Ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [ε]ἰς κώλπης Ἀ[βρ]αὰμ κ(αὶ) Ἰσα[ὰκ] κ(αὶ) Ἰακὼβ* ✝

Barbarae Graecitatis exempla in monumentis Christianis, quale nostrum est, admodum frequentia sunt.

7. In sphragide aenea, ex *Aegypto*, e collect. Anastasii, huc transmissa; cf. Déscript. rais. p. 111. p. 341. — Alt. 3,43; lat. 0,57 Cub. Neêrl.

ЄΙCΘ
ΡЄΟC (with ✝ below Ρ)

Εἷς Θεὸς Χρ(ιστός).

8. In sphragide aenea rotunda, dioptrice fusa et ex *Aegypto*, e collect. Anastasii allata; cf. Déscript. rais. p. 111. n. 342. — In diametro habet 0,12 Cub. Neêrl.

ΔΙΟCΚΑ
CΙΟΥΑΘΗΝ
ΑCΑΠΠΙ
ΑΝΟΥΙ
: : : :

Διὸς Κασίου Ἀθηνᾶς Ἀππιανοῦ Ι : : : :

Ultima lineola fere disparuit: in umbilico patera cernitur; supra pateram tres gutti, ut videtur, quibus tres guttae s. globuli s. disci supereminent. ΚΑΣΙΟΣ, cognomen notissimum Iovis; de quo cf. G. C. A. Müller, de Corc. Rep., Gött. 1835. Arae, Iovi Casio sacrae, titulum Corcyranum, vid. apud Murator. 8, 11; cf. Orell. n. 1224 et quos excitavit.

Caeterum in sphragidibus Aegyptiaco-Graecis ejusdem collectionis Anastasianae una est, ex lapide calcario, rubro olim colore obducta, in cujus umbilico Christi nominis monogramma legitur, atque circumcirca inscriptio rudis et contorta, quam expromere non potui. In aversa istius sphragidis parte notae nonnullae conspiciuntur obscuriores. In diametro lata est 0,08 Cub. Neèrl. Cf. Déscript. rais. p. 111. n. 338.

9. Sculptum in gemma Chalcedone, ex collect. Anastasii huc missa; cf. Déscript. rais. p. 75. n. 401. — Alt. 0,014; lat. 0,019 Cub. Neèrl.

a. ΚΩCΑΜΙΜ
ΑΩΚΑΙΚЄΧ

b. ЄΠΑΩΧ
ΦΥΑΑΖΑΡ

Inscriptio *a.* in hac, et *b.* in altera parte rasa est. Versu 4°. fortasse nomen ΦΥΑΑΞ latet; cf. C. I. 2895.

10. Sculptum in Abraxide ex lapide Hemathitide collectionis Anastasianae; cf. Déscript. rais. p. 75. n. 400. — Alt. 0,014; lat. 0,018 Cub. Neèrl.

ΟCΠЄC.

(H)ospes sic.

In aversa lapidis parte cernitur deus Sol, capite gallino, pedibus in serpentes exeuntibus conspicuus, dextra flagellum, sinistra scutum tenens. Ad dextrum dei latus, infra et in scuto literae et notae Graecae rasae sunt, quas explicare mihi non contigit.

11. Anaglyptice impressum in superiore orbiculo lucernae, e terra fictili satis rudi fabricatae, atque ex collecte Anastasiana huc allatae.

ΦΩCΕΚΦΩΤΟC.

Φῶς ἐκ φῶτος.

Lucernae effigies edita est in titulo operis Reuvensii, Lettres à Mr. Letronne, s. l. Cf. Déscript. rais. p. 96—97. n. 538. — Vide num pertineat inscriptio sive ad emanationis, quae dicitur, doctrinam orientalem, sive ad formulam symboli Anastasiani.

12. Anaglyptice impressum in superiore parte lucernae, ex terra fictili fabricatae atque ex Anastasii collectione huc advectae; cf. Déscript. rais. p. 96—97. n. 539. Supra labrum crux parva cernitur.

ΗΑΓΙΑΑΜΜΑ
ΧΡΥΣΤΙΝΑ.

'Αγία 'Αμμα Χρυστινα.

13. Rasum in fundo lucernae fictilis, ex collect. Anastasiana allatae; cf. Déscript. rais. p. 97. n. 540.

ΝЄΙ
ΚΗ

Νείκη.

Inscriptio terrae molli impressa est. Similis literarum scripturae titulum, in lucerna fictili rasum, exhibuit Ross. Insc. Gr. ined. n. 19ª.

Praeterea in eadem Monumentorum Aegyptiacorum classe, nonulli tituli Graeci asservantur, ex eadem collectione Anastasiana huc delati, sed calamo scripti in tabellis, fragmentis lapidum, imbricum et vasculorum, suisque numeris indicati in: Descript. rais. s. l. p. 131—132. n. 448—449, 451—468.

INSCRIPTIONES LATINAE.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS POLITICIS.

TAB. IX.

1. In laterculo coctili quadrato, sua magnitudine exhibito atque olim in fundamentis, ut fertur, arcis *Britoburgi* prope *Catvicum* reperto. Fuit olim in collectione Papenbrockiana; descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 6. n. 3. — Alt. et lat. 0,235; crass. 0,065 Cub. Neêrl.

GENS || BATAVORUM || AMICI. ET. FRATRES || ROM*ani*. IMP*erii*.

Quoniam haec inscriptio per longam annorum seriem celebrata, postea vero a nonnullis viris eruditis in dubium vocata est, paullo explicatius de illa agendum censui. Ex scriptoribus qui illam tractarunt praecipui sunt: HAVERCAMPUS, in Dedicat. editionis Eutrop. Lugd. Bat. 1729. 8°; OUDENDORPIUS, l. c. et in Orat. de Vet. Insc. usu etc. p. 27; SAXIUS in Orat. Acad. in Legis regiae Patronos, Traj. Batav. 1798. 4°. p. 78—83; TE WATERUS, in App. Narr. p. 167; ORELLIUS, Coll. Insc. Rom. n. 176*. — HAVERCAMPUS primus omnium, quod sciam, locum designavit, ubi lapis repertus fuerit, sic scribens: » - - - inter Velsana monumenta villae Papenbroekianae - - - ex cujus jam Porticu, relictis tot veteris aevi monumentis fideique vere Batavae nobilissima testimonia, quod rubro lapidi sed antiquo et ex ruderibus vetustissimae arcis Romanae penes nos effosso, incisum Batavorum habet nomen ut fratrum atque amicorum Imp. Rom., properamus ad etc." OUDENDORPIUS, his verbis utitur: » lapis hic inventus in arce Britoburgo prope Catvicum, ex multo jam tempore sub marinis undis latente, passim confundi solet cum alio, qui A. MDII -- prope Leidam -- repertus est." OUDENDORPIUS eodem loco multos scriptores, qui de hoc lapide egerint, excitavit, sed auctoritate diversos, et qui aut nullam, aut obscuram de ipsius origine protulerunt sententiam, aut illum confuderunt cum alio haud dissimili. Hujus autem lapidis, qui *Romaeoburgi* repertus est, mentionem primi

fecerunt GERARDUS NOVIOMAGUS in Hist. Bat. p. 12, atque C. AURELIUS in Bat. p. 100, edit. P. Scriverii, L. B. 1609. 4°, deque eo infra agendum erit. — HAVERCAMPUS igitur et OUDENDORPIUS de lapidis origine Britoburgica deque ipsius fide et antiquitate nullo modo dubitarunt. Sed MAFFEIUS et SAXIUS, ll. cc., illum spurium habuerunt; TE WATERO, quem sequitur ORELLIUS, propter SAXII argumenta dubitante, REUVENSIO vero, in ann. MS., fictitium habente.

Primum mirari subit, nullum scriptorem de tempore et modo, quibus lapis *Britoburgi* repertus sit, quidquam monuisse. Quod cum in aliis lapidibus, multo minoris pretii, fecerit saltem OUDENDORPIUS; in tam memorabili lapide, qualis hic est, quare addere praetermiserit non assequimur, nisi statuamus, haec aut eum latuisse, aut OUDENDORPIUM atque HAVERCAMPUM tam parum de fide inscriptionis sollicitos fuisse, ut in traditione, lapidem in arce *Britoburgo* repertum esse, facile acquiescerent. Concedamus autem, quamquam per lapidis ipsius conditionem (ut postea dicemus) difficilius est, traditionem veram esse, et lapidem revera ex arce *Britoburgo* olim advectum in collectionem Papenbroekianam migrasse, tamen tituli auctoritas nondum stabit immota. Nam decipi potuerunt viri illi, quamvis veri amantissimi, sed non cogitantes quam facile hic lapis, quum fundamenta arcis *Britoburgi* apparerent, illuc clam transferri potuerit, ut postea, tanquam inde effossus, magno cum lucro venderetur. Exemplo sit alius lapis argillaceus, in Museo asservatus, qui olim, ut optima testimonia docent, in arce *Britoburgo* repertus est atque per plures annos Romanae originis habitus; sed quem examen accuratius institutum ad saeculum XVI profligavit. Sola igitur traditione, de origine Britoburgica, fides tituli probari non poterit. Jam ipsum lapidem contemplemur. Superficies, cui inscriptio et ornamenta, partim cavo sigilli typo impressa, partim libera, ut videtur, manu incisa sunt, inaequalis est, sed multo politior quam cetera latera, atque insuper colore rubicundo vel flavescente olim obducta; prouti ex levioribus vestigiis efficere licet. Quod si cum insolita lapidis crassitudine componas, quodammodo suspicionem movet. Ornamenta, quae quatuor draconibus, anguillas vocat OUDENDORPIUS atque loci genios explicat, constant, eo modo sculpta in aliis lapidibus, quod sciam, non comparent; quamvis ceteroquin in Graecis Latinisque monumentis sexcenties conspiciantur; de quo argumento conferri meretur MÜNTERUS, in: Zeitschrift für hist. Theol. T. I. P. 2. p. 48. Dubitationem quodammodo augent literarum nonnullarum incon-

stans forma, ut literae A et M, atque punctorum diacriticorum inaequalior positio. Sed gravior dubitandi causa esse videtur, quod tanti momenti titulus non facile in exiguo fragilique lapillo inscriptus fuerit. Romanorum in his terris degentium erat, titulos multo etiam minoris momenti lapidibus majoris moduli, iisque vivis, non coctis, inscribere; si vero a Batava manu inscriptionem profectam censeas, obstat, quod lapis in Romana, non in Batava arce repertus esse perhibetur. Ex inscriptionis denique stilo, dubitandi argumentum petitur hoc: quod numquam Romani gentem aliquam vocarunt amicos et fratres *imperii*, sed *populi* potius vel *populo;* ut legitur apud Liv. XXVI. 50; XXXV. 18; XXXIX. 47; cff. loca scriptorum veterum p. 73 excitanda. Hoc igitur rectius in fine tituli Gruteriani p. 73. 9 legitur: CIVes BATAVI FRATRES ET AMICI *Populi Romani;* de quo titulo mox dicendi locus erit.

Quum igitur ob has causas lapidis Leydensis antiquitas infirmetur, videamus quid de simillimo titulo tradiderint Gerardus Noviomagus atque C. Aurelius, locis p. 70 excitatis; ut pateat, utrum inde causa de nostro lapide dubitandi augeatur an deminuatur. Noviomagus scribit, »sua aetate (operis praefatio est anni 1520) non procul a Legia oppido (i. e. Leida oppido; vid. Scriver. Ant. Bat. p. 194): eruta esse vetustatis monumenta, his inscripta:

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS SEVERVS
AVG. ET M. ANTONINVS CAES
COH. VOL. ARMAMENTARIVM
VETVSTATE CONLAPSVM RESTI
5 TVERVNT SVB VAL. PVDEN
TE LEG. AVG. PR. PR. CVRAN
TE CAECIL. BATOE PRAE.
GENS BATAVORVM AMICI ET
FRATRES ROMANI IMPERII."

Quibus verbis bini tituli ita conjuncti exhibentur, ut nonnisi unum putes, vitio, ut recte observavit Scriverius l. c., typographi. Noviomagus enim paullo ante non de uno monumento, sed de vetustatis monumentis scripserat. Quum autem indubiae fidei sit titulus prior (vs. 1—7), saepissime editus et etiamnum in villa Wassena-

riorum, quae Duivenvoorde audit, asservatus, ab hac parte causa non est de fide et antiquitate posterioris tituli (vs. 8—9) dubitandi. Aurelius l. c. accuratius etiam illius meminit. Hic, contra Noviomagum, demonstrare cupiens, *Hollandiam* fuisse Veterum Batavorum sedem, duos lapides commemorat, anno, ut ait, 1502 *Romaeoburgi* (viculo ½ mill. a *Leyda* remoto) inter arandum repertos, atque inscriptionibus instructos indubiae fidei; in quibus etiam prior illa est, quam ex Noviomago memoravimus. Denique, quo majorem argumentis suis vim addat, haec subjungit: » at forsitan ad haec inferet Batuanus (i. e. Noviomagus) noster et dicet: quid sibi haec omnia --- an vero quoniam in inscriptione legis CVRANTE CAECILIO BATONTE ad Batavos continuo referes? Minime inquam ---. Non enim in angiportu ambulamus, praetorias et consulares ingredimur plateas arcesque Romanas. Respice igitur et legito quae proxime sequuntur, et quidem maximis in hanc formam scripta characteribus:

GENS BATAVORVM
AMICI ET FRATRES
ROMANI IMPERII."

» Quae literae praegrandes," haec addit Scriverius l. c., » egregium aliquod opus publicum et supra militare Praesidium ibi stetisse arguunt."

Sane si ex Aurelii verbis judices, lapidem tali inscriptione instructum sua aetate Romaeoburgi repertum, ab ipso visum et exscriptum credamus necesse est; id, quod varia quoque literarum forma confirmari posse videtur. Sed disertis verbis non dicit, illum lapidem eodem anno quo priores (1502) erutum esse. Contra fidem igitur et auctoritatem hujus tituli, a duobis adversariis relati, ut prope *Leydam* reperti, praeter dubitandi argumentum ex stilo epigraphico petitum, contra titulum Britoburgicum quoque allatum, nihil quod objiciamus in promtu est. Saxius quidem, in Oratione supra laudata p. 80 et 81, nonnulla externa dubitandi argumenta conquisivit; sed illa nobis tam exigui ponderis esse videntur, ut nihil contra probent; nisi, ut Saxius fecit, Noviomagi et Aurelii in his literis peritiam in dubitationem vocaveris. Neque ego negaverim, utrumque scriptorem satis credulum fuisse, atque in arte critica lapidaria minus etiam versatum, quam Havercampum et Oudendorpium, adeoque facilius decipi potuisse. Sed posita illorum bona, ut mihi persuasum

est fide — JUNIUS in Batav. p. m. 74, NOVIOMAGUM, titulum nostrum memorantem, fidei praeclarum vocavit — nemo, opinor, tantillum peritiae iis denegaverit, quae requiratur ad titulum latinum bene transscribendum, quem aut oculis ipsi suis conspexerant, aut de quo fando audiverant.

Sed SAXIUS Leydensem lapidem spurium censens, illum confictum judicavit ad exemplar (tertium), quod sibi germanum videbatur — quamvis in eadem contexta oratione se de illo dubitare affirmet —, ad titulum scilicet GRUTER. p. 73. 9. sic se habentem:

FORTVNAE AVG. SAC.
PRO SALVTE. ITV AC
REDITV. D. D. NN
M. AVR. ANTONINI. PII
AVG. ET P. SEPTIMII
GETAE NOBILISS. CAES
CIV. BATAVI
FRATRES ET AMICI P. R.
V. S. L. M.

Ut omnis causa pateat, de hoc quoque titulo dicendum est. Locus, ubi repertus fuit, non innotuit; sed olim, ut apud GRUTERUM legimus, ex schedis LUD. VIVIS illum descripserat CAR. LANGIUS. Postea multi repetiverunt, quos partim laudavit SAXIUS, partim OUDENDORPIUS ll. cc. Porro de illius auctoritate nihil constat. MAFFEIUS, in Art. Crit. Lap. p. 283, illum spurium judicavit, propterea quod Batavi dicuntur *fratres populi Romani*, » incognita," inquit, » lapidibus formula, neque ita se inscripturi fuissent intra Romanam ditionem degentes virosque et arma imperio ministrantes (TAC. Hist IV. 12)." Atqui, si verum est, Batavos omnium populorum barbarorum a Romanis maximo honore habitos fuisse (vidd. TACIT. Germ. 29. Hist. IV. 12, 17 et V. 25 atque DIO, Hist. LV. 21), et Heduos *fratres* Romanorum esse vocatos (vidd. CIC. Epp. ad Att. I. 19; et CAES. de B. G. I. 44), *fraternitatis* nomen cum populo Romano usurpasse (vid. TACIT. Ann. XI. 25), *fraterno*que populi Romani nomine fuisse gloriatos (vid. EUMENIUS, in Orat. paneg. pro Just. C. IV. edit. Arntz.); haud temere statuas, Batavos quoque olim *fratrum* nomine a Romanis compellari potuisse.

Cui sententiae hoc tantum objici possit, quod disertis veterum scriptorum verbis ita vocati non sunt, ita ut mirum videatur quod TACITUS, in locis ubi Batavos laudavit laudandique causam habuit, illos fratrum et amicorum nomine numquam appellaverit. ORELLIO, in Coll. Insc. Lat. n. 177, titulus suspectus videtur, quod GETAE nomen non erasum sit. Sed haec titulum rejiciendi causa idonea esse nequit, quoniam complures lapides fide dignissimi fuerunt reperti, in quibus GETAE nomen intactum legitur; vid. G. MUSGRAVE, in Dissert. de GETA Britannico p. 26—101, et qui illum excitavit TE WATERUS l. c. — SAXIUS denique, ut dicebamus, titulum probae auctoritatis habuit. Certe scriptura, CIV*es* BATAVI || FRATRES ET AMICI P*opuli* R*omani*, melioris et latinitatis et stili epigraphici est, quam GENS BATAVORVM || AMICI ET FRATRES || ROMANI IMPERII. Igitur quod fidei hujus tituli opponi possit, exceptis iis quae supra de *fraternitate* et *amicitia* dicta sunt, parum est. Sed recte vidit OUDENDORPIUS, in ann. MS. ad h. l. suspicatus, hanc quoque inscriptionem ex duobus diversis titulis conglutinatam esse, ita ut tres versus posteriores, quibus cives Batavi commemorantur, a superioribus versibus sejungendi sint. Ceterum, Batavos olim cives dictos fuisse, effici posse videtur ex titulo integrae fidei, apud nos in vico *Rummel* Brabantiae septentrionalis reperto, quo SVMMVS MAGISTRATVS CIVITATIS BATAVORVM laudatur; qui titulus editus est cum a multis aliis, tum a CANNEGIETERO, in Posthumo p. 158. — Si vero germanus sit titulus, qui nunc tertio loco a nobis memoratus est, augere possit dubitationes contra duos priores allatas; quoniam statuere difficile est, plures titulos simillimi prorsus argumenti diversissimo stilo epigraphico fuisse scriptos.

2. In lapide marmoreo, quem olim ex *Italia* attulit J. DE WITT; postea possedit PAPENBROEKIUS. Ediderunt: FABRETT. Insc. p. 730 et MAFF. Mus. Ver. p. 449. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 22. n. 23. — Alt. 0,295; lat. 0,965 Cub. Neêrl.

a. :
: : : : : : : [A]RIO CVRATORI VIAE
: : : : : : : : ET ALIMENTORVM
: : : : : : [RE]I PVBLICAE AECLANENSIVM
5 : : : : : : [OC]RICVLANORVM

[PROCO*nSuli* PR]OVINCIAE ASIAE
: : : : : : : : ARIO. *Quaestori Kandidato* FLAMINI

b. PROCO*nSuli* PROV*inciae* AFRI[CAE] : : : : : : : : : :
CO*nSulari* AQVARVM ET M[INICIAE] : : : : : :
ELECTO AD IVDICAND*um* SACR[A VICE COR]
RECTORI ITALIAE REG*ionis* TR*anspadanae*
5 CVRATORI COLONIAR*um* SPL*onistarum* (sic.)
LVGDVNENSIVM, CA[MPANORVM]
CALENOR*um*, XII VIR*o* ROM : : : : : : : : : :

Vocabulum decurtatum SPL, vs. 5 tituli *b*, Oudendorpius l. c. explicavit *Spoletinorum*. Equidem hic adhibendum putavi lapidem Salonensem, quem ex Morelli Opusculis (Venezia 1820. 2. p. 162) retulit Orellius l. c. n. 502, in quo curator REIPVB*licae* SPLONISTARVM laudatur, quamquam Respublica illa ignota est. Vide autem, num rectius fortasse siglam interpreteris per SPL*endidissimarum*. Titulos similis stili vide apud Grut. p. 459. 7, et Orell. n. 60, 1194, 3042; cf. Marini Att. Tav. LXII, cum amplo commentario.

TAB. X.

1. In columella ex lapide calcareo, cujus forma in Tabula adposita est: reperta, ut ferunt, in vico *Monster* prope *Naaldwijk*, atque anno 1838 a Nobilissimo viro van der Heyden van Baak Museo donata. Ediderunt hi praecipui scriptores: Heda, Hist. Eccles. fol. 13. edit. Buchel. (scripta est operis Praefatio anno 1525); H. Junius, Batav. p. 308. edit. 1588: Gruterus, Insc. Ant. p. 156, 7. edit. Graevii; P. Scriverius, Ant. Bat. p. 214. edit. L. B. 1609; M. Altingius, Not. Germ. Inf. I. p. 66, edit. Amst. 1697; H. Cannegieterus, de Brittenb. p. 42 seq.; Gerhardus van Loon, Aloude Holl. Historie, fol. 171; et alii, sed qui vel hinc hauserunt, vel e rivulis inde ductis. — Alt. 2,08; lat. in diam. 0,445 Cub. Neêrl.

Titulum, quem spurium putamus, non in Tabula exhibuissemus, nisi a seculo inde XVI usque ad nostra fere tempora probus habitus fuisset, atque a multis in auxilium vocatus, quo topographiam patriae nostrae antiquam illustrarent. Cui errori,

ut tandem occurreretur, necesse videbatur ipsum monumentum accuratissime delineatum exhibere. — Quod si fueris contemplatus, praecipuum fraudis indicium habebis, formam basis, neutiquam Romanam, sed Gothicam, quae dicitur, i.e. ejus artis, quae seculum XVI superare nequeat. Hujus argumenti vis eo gravior est, quoniam basis et columella ex uno eodemque lapide sculpta sunt. Alterum fraudis indicium, si addere opus sit, petatur ex vitiis epigraphicis et palaeographicis, quae non nisi ab imperito impostore committi potuerunt, neque in monumentum aevi Antoninorum, publica auctoritate positum, cadere queant. Ita v. c. vs. 2 legitur MAVRELANTO pro MAVRELANTO; vs. 3 IONT pro PONT; vs. 5 COX pro COS; vs. 7 V[E]QO pro VERO. Ne dicam de siglis, si dis placet, et notis numeralibus vs. 9 et 10, quae explicare quidem conati sunt nonnulli viri eruditi, sed mera conjectura, nihil probantes. Literae quoque inscriptionis haud paucae non exsculptae sunt, sed pictae, solis penicilli ductibus atque colore satis recenti. Ipsa quidem columella, in varias diffracta partes, olim diligenter clavis ferreis et plasmate resarcinata est; sed ista reformatio, praeter superstitionem, qua priores monumentum prosecuti sunt, nihil probare poterit. Sublata igitur monumenti fide, monere superest, non diversum ab hoc esse illud, quod a seculo inde XVI a scriptoribus supra excitatis aliisque celebratum fuit. Scriptoribus enim illis ordine chronologico consultis, adhibitisque Tabulis aeri incisis, perspicuum fit, columellam milliariam ejusdem omnino formae et inscriptionis olim, ab Hadriani Junii inde tempore usque ad Loonium, in villa Persinia, *Hagae Comitis* proxima, extitisse. Idem autem de nostra columella adfirmavit, qui illam prius possedit et meo rogatu Museo donavit, Nobilissimus van der Heiden van Baak, in epistola d. 3 Sept. 1838 ad me missa: »Columella haec," inquit, »ex villa Persinia oriunda, haereditario jure in meam possessionem venit, atque jussu fratris mei, qui anno 1810 obiit, in pagum *Baak* transportata fuit, postquam plus quam duo secula et dimidium in villa Persinia fuisset." Sequitur hinc columellam pro eadem illa habendam esse, quae a scriptoribus supra excitatis descripta est et delineata (*). Loonius quidem l. c. tradidit, columellam Persinianam, a se

(*) Gruterus l. c. perperam exscripsit H. Junium, villam appellans *Hippolyti Absychei* pro *Hippoliti Persinii*; et Cannegieterus l. c. perperam excerpsit Altingium, aedes Wassenariorum pro villa Persinia locum indicans ubi columella asservaretur. Confudit Cannegieterus alios lapides Romanos, qui etiamnunc in aedibus Wassenariorum exstant.

quoque in Tabula eleganter picta exhibitam, olim in loco quodam *Vliegene* dicto repertam esse; quod, si verum esset, omnino repugnaret traditionibus ceterorum scriptorum, narrantium illam in vico *Monster* prope *Naaldwijk* esse effossam; sed mire lapsus est Loonius in interpretando Heda, qui l. c. illam repertam esse scripserat in *uligine;* ex quo nomine appellativo, ut ajunt, Loonius finxit nomen loci, qualis in patria nostra nunquam exstitit.

Sed videndum restat, quatenus fides habenda sit Junio (qui obiit anno 1575), de prima monumenti origine scribenti, illud » erutum esse *Monasterio*, dum novale aratro proscindebatur, atque Hippolytum Persinium (qui obiit anno 1568) illud e coenobio Sionis, prope *Delfos*, in villam suam, *Hagae Comitis* proximam, transvexisse, postquam melius e marmore exemplar, apud incuriosos antiquitatis monachos substituisset." Ex posterioribus enim Junii effatis suspicari quis possit, nostram columellam habendam esse exemplar istud melius, quod Hippolytus Persinius apud monachos coenobii Sionis substituerit; vetustum vero et germanum monumentum, nescio quomodo, esse deperditum. Haec vero conjectura repugnat monumenti nostri historiae, docenti hoc ipsum a seculo inde XVI in villa *Persinia* exstitisse. Quo autem minus credamus hanc columellam melius istud exemplar habendam esse, facere possit alius quoque columnae recordatio, quam eodem tempore, quo milliariam colnmellam Museo obtulit, officiosissime transmisit Nob. van der Heyden van Baak. Haec enim columna, quod ad formam attinet, priori simillima est, atque ex eadem villa Persinia olim oriunda, eodem tempore in pagum *Baak* transportata fuit; sed inscriptione instructa est, quae medium fere seculum XVI redolet. Quocirca haec altera potius habeatur exemplar istud melius, quod Hippolytus Persinius (qui medio sec. XVI in vivis adhuc erat) faciundum curavit. Inscriptio haec est: IMP. CAES. || DIVO. CAROLO V || MAXIMO. AVG. PP. || FRANC. GERMA. REG. || HISPAN. NEAP. SIC ET || PHILIPPO. PIO. || DIVI. CAROLI. CAES. || AVG. F. REG. HISP. NEAP. || ARCHID. AVST. DVC. || BRAB. COM. HOL. (i. e. HOllandIaE). Si igitur verum est, quod Junius tradidit, Hippolytum Persinium apud Monachos Sionis exemplar columellae melioris substituisse, columna vero, quam alteram vocavimus, exemplar istud melius habenda sit; statuendum esse videtur, quo tempore coenobium Sionis destructum est, istud quoque exemplar melius ad priorem suum dominum Persinum rediisse; unde factum sit, ut olim in villa Persinia par columnarum fictarum servatum fuerit. Columella vero

milliaria Romanae originis, atque (exceptis siglis, vs. 10 et 11) nostrae omnino similis, anno 1769 prope *Remagen* eruta est; vid. Orell. n. 876 et quos excitavit; cf. Steiner. Cod. Insc. Rom. Rh. p. 68. n. 761.

3. In lapide calcareo *Romaeoburgi* prope *Leydam* eruto, atque anno 1755 a Leonardo de Maine Academiae donato. Edidit te Waterus, in App. Narr. l. c. p. 166—179, ubi lapidis historiam tractavit et titulum illustravit. — Alt. 0,51; lat. 2,21 Cub. Neêrl.

IMP*eratores* CAES*ares* *Lucius* SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX [ET] || *Marcus* AVRELLIVS ANTONINVS AVG*usti* [ET *Publius* SEPT*imius* GETA CAE*Sar*] || NVMERO EXPL*oratorum* BAT*avorum* ANTON[I]NIANORV[M] CVR*atore* *Cohortis* *Quinto* VENIDIO RVF[O] : :

Te Waterus l. c. in eo errasse nobis videtur, quod vocabulum ANTONINIANORVM vs. 3 ab inepto nugatore additum existimavit. Est enim illud vere antiquum, quamvis rudiore modo sculptum. Ad hoc probandum imprimis facit alius titulus, ante quadriennium et quod excurrit *Moguntiae* repertus, atque ab O(sanno) relatus in: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, 1838, n°. 64. In illo titulo itidem exploratores Antoniniani nominantur. Est autem hic: D. M. || TOGIO STAT || VTO. MILITI. NVMERI. EXPL || ORATORVM || DIVITENSIVM || ANTONINIA || NORVM. STIP || ENDIORVM || XVIII. TOGIA || FAVENTINA || SOROR. ET || HERES ::: || ::: RI ::: || :::: MO || F. (*Asciae signum*). Versus quatuor posteriores supplere possis: HERES :: [F || RAT]RI [CARISSI]-MO || *Fecit s. Faciundum Curavit.* Sed vocabulum ANTONINIANORVM nostro lapidi insculptum, non ab eadem manu profectum esse videtur, quae cetera sculpserit. Reuvensius in nota MS. a. h. l. suspicatus est, eo tempore hoc additum fuisse, quo Getae nomen erasum est. Quintus Venidius Rufus in aliis lapidibus haud semel laudatur, vidd. Grut. p. 79. 2; Spon, Recherches curieuses p. 193—194; Murator. p. mmix. 1, 2; Gud. p. lxxix. 1, 2; (J. In de Betouw), Toelichting van twee opschriften op het slot Duivenvoorde (Nymegen 1799 s. 1800. 8°.); L. Lersch, Centralmuseum Rhein. Inschr. P. II. p. 20, 21.

Romaeoburgi, ut supra adnotavimus, cum alii lapides Romani olim reperti fue-

runt, tum celeberrimus ille GRUTER., p. 189. 1, quo docemur ibi olim Armamentarium stetisse. Quocirca haud temere statuas *Praetorium Agrippinae*, secundum Tab. Peuting. II mill. a *Lugduno* remotum, in *Romaeoburgi* confiniis situm fuisse.

3. In lapide calcareo, reperto sec. XVII in vico *Birten* (*Vetera*) prope *Xanten*. — Olim in possessione GRAEVII fuit, unde postea in collectionem Papenbroekianam migravit. Edidit ALTINGIUS, Not. Germ. Inf. p. 41, qui viderat in collectione Graeviana; ALTINGIUM exscripsit auctor libri: *Kleefsche Waterlust* (SCHUTTE, Med. Dr.), Amsterdam, 1752. 8°. p. 135—136. Descripsit et illustrare instituit OUDENDORPIUS l. c. p. 8. n. 5; sed explicavit J. IN DE BETOUW in annot. ad G. CUPERI Epp. de Aris et lapidibus votivis ad Neomagum et Sanctenum effossis, Neom. 1783. p. 28; cf. ejusdem opusculum: Vertaaling — van de opschriften — binnen — Nymegen enz. Nymegen, 1787. p. 54. — Alt. 0,375; lat. 0,52; crass. 0,05 Cub. Neêrl.

Marcus ANTIST*ius* PLACIDIN*us* || *Marcus* VLP*ius* ASPADIVS [L]*ucius* || [F]L*avius* VICTOR MISSI || [H]ON*esta* MISSIONE EX || [S]IGNIF*eris* LEG*ionis* XXX, DeD*erunt* || FAVSTINO ET RVFINO || COnS*ulibu*S.

Ultimam literam versus 2ⁱ. restituimus per L, et vers. 7, per COSS, auctoritate recensionis ALTINGII, cujus tempore sic in lapide legebatur. Ex consulum nominibus patet, titulum referendum esse ad annum aerae nostrae ccx, ultimum imperatoris L. SEPTIMII SEVERI.

TAB. XI.

1. In lapide marmoreo oblongo, in *Africae* septentrionalis loco quodam *Boeschatter* (*Utica*) reperto, atque ab HUMBERTIO huc misso. — Alt. 0,98; lat. 2,38; crass. 0,25 Cub. Neêrl.

1. *Lucio* ACCIO IVLIANO ASCLEPIANO, *Clarissimo Viro*, CO*nSuli*, CVR*atori* REIP *ublicae* VTIK*ensis*, || ET GALLONIAE OCTAVIAE MARCELLAE, *Clarissi mae Feminae* EIVS, ET ACCIAE || HEVRESIDI VENANTIO, *Clarissimae Puel lae*, ET ACCIAE ASCLEPIANILLAE || CASTOREAE, *Clarissimae Puellae*, FILIABVS EORVM, COL*onia* IVL*ia* AEL*ia* HADR*iana* AVG*usta* VTIK*ensis* || PATRONIS PERPETVIS D*edit* D*edicavit* P*ecunia* P*ropria*.

2. AEDEM TRIVM CAMERARVM VETVSTATE COLLAPSAM. || ADDITO CVLTV MELIORE LAQVEARIORVM, PECVNIA || PROPRIA REFORMAVIT S*enatus* P*opu lusque* VTIK*ensis*, CVRANTE || ET DEDICANTE SILIO TERTVLLO, *Clarissimo Viro*, CVR*atore* SVO.

Duo tituli eidem lapidi inscripti sunt. Inscriptio 2 in averso latere sculpta est, ordine inverso. Titulus 1 vetustior est, qui quidem parieti illatus atque absconditus fuisse videtur eo tempore, quo titulus 2. exhiberetur. Lapis in varias partes scissus est, et titulus 1 non parum detritus. Memorabilis hanc ob causam imprimis censendus titulus 1, quod certo testimonio est, hujus generis opinor unico, quo probetur, *Uticam* eo loco stetisse, ubi marmor effossum est, atque adeo egregie confirmentur argumenta, quae Shawius, Itiner. Vol. I. p. 131 — 131 (edit. Traj. 1773. 4°), ex veterum geographorum et historicorum scriptis aliisque monumentis vetustis, ad reperiundum et constituendum veteris *Uticae* situm attulit. Eodem loco, quo lapis repertus est, effossae quoque sunt pulcherrimae statuae Jovis, Tiberii, Trajani, ignoti imperatoris et trium imperatricum Romanarum, quae ejusdem Humbertii cura Museum Lugd. Batavum exornant. Utrum ad eandem aedem spectet titulus vetustior 1, ad quam pertinuit titulus 2, equidem non affirmaverim; sed veri non ab simile videtur. Quod si statuas, memorabilior est literarum utriusque tituli convenientia. De hominibus in titulis memoratis nihil compertum habeo. Titulo 1, ignota adeo nobis sunt ipsa nomina Gallonia, Venantium, Castorea. Heuresis legitur in titulis Grut. p. 875. 3; 975. 5: 1124. 6 et alibi; et Eurises in lapide vetusto Parisino; vid. Diplomatik der Congreg. des h. Mauri, edit. F. C. Adelung, T. II. p. 266. Nomen Gallonia fortasse Gallicae originis est.

De aetate titulorum parum mihi constat. Illos Hadriani aevum non excedere, perspicuum est ex eo, quod ab hoc imperatore *Utica* cognominata est Colo-

nia, ipsis Uticensibus expetentibus; id quod, ut GELLIUS scribit, Noct. Att. XVI. 13, miratus est ADRIANUS, quoniam urbs illa ceteraeque urbes, quae idem flagitaverant, municipalium civitatum jure et privilegiis jam gaudebant; vid. DIO L. XLIX. 16. et cf. SPANHEM. de usu Num. Diss. VIII. Nominum plurium coacervatio, ut est in titulo 1°, imprimis sec. II p. C. n. invalescere coepit. Vocis VTIK*ensis* scriptura, pro vetustiore VTIC*ensis* (ut est in titulis GRUTERI p. 204 et 512), ad tempus reperiundum frustra in auxilium vocabitur, quoniam latet quo aevo sic scribi coeperit. Non paucas literarum formas ad primorum imperatorum tempora referas; aliae JUSTINIANI adeo aevi esse possunt. Sed collatio cum titulo Tab. XVIII. 3, item Africano et ab AUGUSTI aetate, ut videtur, parum remoto, (cf. etiam titulus Tab. XXIII. 3) atque nomina tituli 1' vetustiora, ut ACCII, OCTAVII et MARCELLAE, faciunt, ut inscriptiones HADRIANI, quam JUSTINIANI aevo propiores existimemus. — Rariores formae nonnullarum literarum fortasse ex peregrina, ubi factae sunt, regione explicari debent. In his appellandae praecipue sunt literae A, C, L et M tituli 2'. Apices literarum T, ejusdem tituli versus 1', per lapidis fractionem perierunt. Ceterum titulum 2 recentiorem esse quam 1, indoles ejus docet; in eo literarum et punctorum diacriticorum major quoque inconstantia conspicua est.

3. In fragmento marmoris, reperto *Mehamdiae*, loco *Africae* septentrionalis, sito in confiniis veteris *Carthaginis*, duo milliaria Neêrl. a *Tuneto* urbe remoto. Fragmentum in sex partes diffractum est et in aversa parte habet inscriptionem Tab. XII n. 1. exhibitam. Misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,40; lat. 0,645; crass. 0,02 Cub. Neêrl.

IMP*eratori* T*ito* C[AESARI] || VESPAS[*iano* AVG*usto* || PONTI]FIC*i* MAX*imo* || [TRI *Bunicia* P]OT*estate* CO*n*S*uli* II [*Lucius* || [ABVC]CIVS TELES[PHORVS : : : : : :

Vs. 5. supplevimus [L]*ucius* [ABVC]CIVS, quoniam hoc nomen legitur in inscriptione sepulcrali, in via Valeria Tiburtina reperta, sic se habente: D. M. || L. ABVCCI. TELESPHORI || CON. CARISSIM. || FIDELISSIMO || FECIT. VIXIT. MECVM || AN. VII; vid. GUD. p. 262, 1. — *Lucii* ABVCCII CRESCENTIS nomen sculptum fuit in basi memorabili, anno 1547 *Romae* reperta, PACI AETERNAE DOMVS IMP. VESPASIANI, etc.

dicata, atque ad annum U. C. 823 referenda. Hic posterior Lucius Abuccius, qui consanguineus nostri esse potuit, unus illorum erat qui, ut docent nomina in eadem basi scripta, e tribu Successana ad ponendam statuam contulerant; vid. Grut. Insc. p. 240. et Orell. n. 740.

TAB. XII.

1. Est aversa pars lapidis p. 81 descripti; titulum frustra supplere tentavimus. Literarum mutilarum conditio satis aperte indicat titulum olim multo longiorem fuisse ideoque vetustiorem habendum quam priorem. Versus 1us et 2us restitui possint [PONT*ifici* MAX*imo* T]RIB*unicia* POT*estate* || : : : CE]NSORI.

2. In fragmento marmoreo, valde detrito, quod in ruderibus veteris *Carthaginis* repertum huc misit Humbertius. — Alt. 0,24; lat. 0,24; crass. 0,035 Cub. Neêrl.

: : : : : : : : : : [NOS M?] : : : : || CVM SIGMENTIS : : : CV : || ET MARTE PLAGVL[AS] : : : : : || A[L]IAS (sic) PVRAS IN CAPITOLIV[M] || [P]RASINA COLORE CLAVA : : :

Lapis ita truncatus est, ut tituli explicationem frustra experiar. Quum autem de SIGMENTIS, PLAGVLIS, COLORE, PRASINA, CAPITOLIO et MARTE sermo sit, suspicatus sum, illum spectare memoriam donariorum, ab agitatore sive agitatoribus Marti dedicatorum, atque in Capitolium delatorum. Sic v. c. in tabula marmorea Romana, victorias et praemia agitatoris cujusdam memorante, FACTIONIS PRASINAE mentio injicitur, adscripto Coss. nomine, vid. Grut. p. 332. Litera 2^a vs. 4, quam per L reddidimus, proprie S habenda foret, quae sec. II° et prius fortasse ita scribebatur; sed quoniam litera S in eodem titulo alia forma sculpta recurrit, potius pro L, inverso ordine posita, accipiendam esse censeam.

3. In fronte lapidis calcarei oblongi, in cujus superficie foramen rotundum est, cui trimodius, qui nunc deest, olim impositus fuit. Repertus est in loco

Boe-schatter (*Utica*) atque ab HUMBERTIO huc delatus. — Alt. 0,22; lat. 1,165; crass. 0,575 Cub. Neêrl.

Lucius DOMITIVS AHENOBAR[B]V[S] || *PROCOnSul* || TRIMO*Dium* POSVIT QVA CIVITATES SAL EM*etirentur*.

LVCIVS DOMITIVS AHENOBARBVS *L. f. L. n.*, anno U. C. 674 Proconsul Hispaniam citeriorem obtinuit; alius, *Cn. f. Cn. n.*, anno U. C. 704 Proconsul Galliam ulteriorem a Caesare possessam sortitus non obtinuit; vidd. scriptores quos excitavit PIGHIUS, Annal. II. p. 276. et p. 438; alios, sed qui Proconsules non dicuntur, vide apud scriptores a PIGHIO laudatos, et a DRUMANNO, Geschichte Rom's etc. Tom. III. p. 12 seqq.

Quod ad trimodii formam attinet, vide exemplar *Pompejis* repertum, apud MAZOIS, Pomp. II. Pl. 8.

4. In lamina marmorea *Romae*, ut fertur, anno 1621 reperta. Olim exstitisse dicitur apud ALEXANDRUM RONDONIUM. Postea ad JOANNEM WOUWERIUM in Brabantiam transmissa, ab hujus haeredibus emit nostras CONSTANTINUS HUGENIUS, ex cujus collectione in Museum Papenbroeckianum migravit. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 20. n. 20, recte monens titulum minus exacte editum esse in GUDIANIS p. xc. n. 3, DONIANIS p. 557. n. 18 et a L. A. MURATORIO p. cc. Explicuit D'ORVILLIUS, in Misc. Obs. Nov. ad A. MDCCXLII. p. 101 etc. — Alt. 0,175; lat. 0,28; crass. 0,11 Cub. Neêrl.

IMP*eratori* HADRIAN*o* || AVG*usto Nostro Patri Patriae* || *Marcus* PITRONIVS SVRA PROC*urator* || CVM MAMERTINO ET ANTONINO || LIBERIS. || EX AR*Gento Pondo* V SEMIS (sc. signum posuit).

D'ORVILLIUS in epistola ad OUDENDORPIUM data suspicatus est, intelligi T. AELIUM HADRIANUM ANTONINUM PIUM; atque hujus M. PETRONII SURAE procuratoris filium MAMERTINUM et nepotem ANTONINUM, ex MAMERTINO et sorore COMMODI genitum, ab Imp. COMMODO esse occisos, ut refert LAMPRIDIUS in ejus Vita C. 7. Inscriptio, ut in

lapide se habet, aliquam suspectae fidei speciem prae se ferre videtur; sed formae literarum bonae sunt, neque Antoninorum aetati repugnant. Quod ad stylum epigraphicum vs. 1 et 2 attinet, conferri meretur lapis Hadriano dicatus et Romae repertus, vid. Orell. C. I. L. n. 5016. [Cf. simile monumentum apud Spon., Misc. p. 184, ubi PINARIVS quidam RVFVS genio municipii sui dedicavit EX. ARG. RV. P. S. P., quod Sponius l. c. p. 185 explicandum esse censet: *ex argenti rudi pondo semipondo.* R.]

5. In lapide marmoreo oblongo, quem olim Roma advexit J. de Witt; postea possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorp. l. c. p. 38. n. 47; atque memorarunt antea: Boissardus, Topogr. Rom. Part. II. Tab. 75, sed pessime; melius quodammodo Gruter. p. 352. n. 5. — Alt. 0,14; lat. 0,69 Cub. Neërl.

CONSIMILES FRATRVM TRABEIS GESTAMINA HONORVM || TERTIA QVAE DEeRANT ADDIDIMVS TITVLIS ||

DILECT[AE] PROBVS HAEC PERSOLVO MVNERA MATRI || RESTITVENS STATVIS PRAEMIA QVAE DEDERAT.

Tituli in lapide ita positi sunt, ut *a.* juxta *b.* sculptus sit, duabus tantum lineolis, hoc modo rasis ||, ab illo sejunctus. Lapis fractus est et literae hic illic haud parum exesae. [Ipsa lapidis forma indicare videtur statuae subscriptionem. R.] Conjicere licet inscriptionem ad tres statuas spectare; duas scilicet fratrum et unam matris. Tertia honoris gestamina habenda esse videntur quae statuis, titulo ornatis, exhibita sunt. [*Statuis* puto esse ablativum, ut sit: *restituens* (matri) *praemia* amoris (pro amorem aut signa, monumenta amoris) quem ab ea expertus fueram. R.] Titulum poetice ex hexametris et pentametris, quae dicuntur, compositum esse, me non monente intelligitur.

INSCRIPTIONES EX SACRIS MONUMENTIS.

TAB. XIII.

1. In fronte arae marmoreae quadratae, quam ex *Italia* olim advexit J. DE WITT; postea possedit PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 52. n. 67. — Alt. 0,25; lat. 0,22 Cub. Neêrl.

LOCO PEREGRE*no* || DEV*m* DEBES ROGARE || VT POSSIS SALBVS SA || NVS AT TVOS REVERTI ||. ΑΡΙΦΙΛΟΣ || [*Iovi Optimo*] MAXI[MO] (sic).

Ex peregrina pronunciatione orta esse videtur scriptura: vs. 1. PEREGRE*no* pro PEREGRI*no*; vs. 3. SALBVS pro SALVVS; et vs. 4. AT TVOS pro AD TVOS.

In medio superficiei, formae rotundioris, levis sculpta est excavatio, cui signum olim impositum fuisse videtur, dedicatum ab homine Graeculo, ut scite observavit OUDENDORPIUS, l. c. qui tamen literas vs. 6 a nobis exhibitas non retulit; in annotatione vero MS. a. h. l. exhibuit hoc modo OXXV^c, addens: »non satis adprehendere erasa haec potui. Videntur designasse pondus et pretium signi, quod arae vel basi huic superpositum fuit." In dextro latere arulae, exsculptus est quidam tunica indutus, sinistra ramum trifolium, dextra uvam tenens. In laevo latere, genius alatus passis manibus expansum velum super caput attollens.

2. In fronte arae quadratae ex lapide calcareo, olim in agro *Wiltenburgensi* prope *Trajectum ad Rhenum* repertae, atque ex collectione GRAEVII in Museum Papenbroekianum delatae. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 3 n. 1, atque aut fusius tractarunt, aut breviorem ejus mentionem fecerunt REINESIUS, Insc. Cl. I. n. 244; Editor Monum. Illustr. Viror. BOXHORNII, Fig. 126; SPONIUS, Misc. Erud. Antiq. Sect. III. p. 72; SPANHEMIUS, ad Callim. Hymn. in Iovem vs. 91, et in commentario Gallico ad Jul. Caes. p. 91 seqq.; CUPERUS, in Explicat. gemmae Aug. p. 207 seqq.; KEISLERUS, Antiquitat. Septentr. p. 403;

ALTINGIUS, Not. Germ. infer. p. 91; GRAEVIUS, Thes. Ant. Rom. T. XI. in praef.; PERIZONIUS, Dissert. Tr. p. 272; MURATORIUS, Insc. T. I. p. XXXIX. 4°.; SAXIUS, de Ara Romana p. 151, inserta Annal. Societ. Harlemensis, T. XIX. l. 3, [et CANNEGIETERUS, de Gemma Bentinck. p. 9. R.] — Alt. 1,20; lat. 0,735; crass. 0,49 Cub. Neërl.

IOVI *Optimo Maximo* SVMMO || EXSVPERANTISSIMO, SOLI INVICTO, APOL LINI, || LVNAE, DIANAE, FORTVNAE, || MARTI, VICTORIAE, PACI, || *Caius* ANTISTIVS ADVENTVS || [LE]*Gatus* AVG*usti* PR*o* PR*aetore* DAT.

Lapis valde detritus est, quo quidem detrimento OUDENDORPII aetate minus laborasse videtur, ita ut inscriptionis et anaglyphorum explicatio ex OUDENDORPII annotatione multum lucis acceperit.

In superficie arae vestigia supersunt, quibus olim instriterit statua, Panthei, ut suspicor, inquit OUDENDORPIUS, rotunda. Est nimirum strages rotunda, in quadratas partes striata. In suprema arae fronte olim exsculpti cernebantur duo canes venatici, cursu citato in adversum currentes, nunc vero detriti. In utroque latere arbor, rudiore modo exsculptus.

OUDENDORPIUS scite suspicatus est, monumentum sub imperatore L. SEPTIMIO SEVERO ejusve filio M. AURELIO ANTONINO CARACALLA positum esse. Vox EXSVPERANTISSIMI nata est sub COMMODI patre M. ANTONINO; vid. Inscript. DON. Cl. III. N. 31. unde frequens est APPULEIO. [Reperitur etiam in nummis COMMODI, vid. ECKH. Doct. N. T. VII. p. 115 *b*. R.] et in lapide Musei Vindobonensis, vid. MAFFEIUS Mus. Veron. p. CCXLVIII. 3. Lapides alii in quibus CAJI ANTISTII nomen legitur, reperti fuerunt; vidd. MURAT. 356, 1. et FUCHS, Gesch. von Maintz. Tom. I. Cl. IV. n. 33. Qui in lapide Birtensi, Tab. X. n. 3, memoratur M. ANTISTIUS PLACIDINUS, consanguineus aut frater nostri ANTISTII esse potuit.

Formula DAT vs. 7. rarior est. Exstat tamen in aversa parte lapidis Mus. Veron. p. CCCLXXIX'. 1, qui lapis in fronte habet IOVI; in latere dextro pateram, in sinistro simpulum. Cf. quoque Tab. nostra XIV. n. 3. Literam A vocis EXSVPERANTISSIMI jam tempore OUDENDORPII lineola transversa caruisse, ipsius descriptione l. c. docemur. Prior litera M vocis SVMMO a recentiore manu truncata est.

3. In fronte arae oblongae ex lapide calcareo, anno 1624 d. 15 Novembris *Voorburgi* (in *Foro Hadriani*. R.) prope *Hagam* repertae. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 54. n. 69; et quos excitavit, Hegenitius, Boxhornius, Reinesius, Sponius; sed nemo horum satis accurate. — Alt. 0,88; lat. 0,43; crass. 0,18 Cub. Neêrl.

[I]N *Honorem Domus Divinae* || GENIO COL[LE]GI*i* PEREGR*inorum* || [VL]P*ius* DECEM || BER ET VE[RE]CVNDVS COR || NVTVS D*e*D*icarunt*.

Oudendorpius l. c. vs. 3. pro PEREGR perperam scripsit PEHEGR (sic).

Lapis in duas partes scissus, non parum mutilus est. Ad versus 3i et 4i COLLEGIVM PEREGRINORVM. Oudendorpius adnotavit, »*institorum nempe et mercatorum;*" quod tamen incertius esse videtur, quandoquidem scriptores veteres et lapides de talibus, quod sciam, *collegiis peregrinorum*, nihil prodiderunt. Ceterum de collegiorum variis generibus, in lapidibus memoratis, vidd. inscriptiones laudatae in Indice C. I. Lat. Orellii, T. II. p. 515 et 516, et cff. quae studiose collegit Massmannus, in Tab. Cerat., Monaci, 1840, 4°. Ex collegio Germanorum fuit Batavus quidam decurio, ut docemur lapide sepulcrali in via Aurelia reperto, vid. Orell. n. 3538, ex Fabrett. p. 687, 98; Don. p. 251, 100 et Murat. p. 523, 5. [Genius peregrinorum, sc. militum, in alio lapide occurrit, vid. Leichtlen, Forschungen I. p. 8. R."] Convenit forma literarum ita cum titulo Tab. X. n. 3, ut ad eandem aetatem referri possit.

4. In basi sacelli quadrati ex lapide calcareo, *Domburgi*, in *Zeelandia*, reperti. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 12. n. 10, edidit Maffeius Mus. Veron. p. ccccxlviiii. 3, et haud pauci alii scriptores. — Alt. 0,745; lat. 0,48; crass. 0,21 Cub. Neêrl.

DEAE NEHALENNIAE AMMACIVS HVCDIONIS (sc. filius) *Lubens Merito* (sc. votum solvit).

Sacellum, supra basin exsculptum, fastigatum est, et duabus columnis, ordinis Corinthiaci sustentatur; tholus in formam conchae arcuatus et striatus est. In medio sedet in ampla sella mulier, longa veste induta, quae sinu olim sustinuit calathum,

pomis aliisque fructibus repletum, nunc vero temporum injuria amisit. Ipsa est dea NEHALENNIA. A dextra sedet canis, aedium custos et deorum Larium symbolum. A sinistra, juxta sellam, stat calathus, pomis, opinor, refertus. In utroque sacelli latere exteriore series foliorum et florum, ut videtur, aquatilium. Hic illic vestigia supersunt colorum, rubri, flavi et caerulei, quo antiquitus obductum, sive variatum fuerit.

Inscriptionis versum 4um OUDENDORPIUS l. c. legit: HVCDION I. S. L. M. suspicatus, literam I ante S mutandam esse in V, unde HVCDION non patris nomen, sed AMMACII cognomen habendum esset, et in fine pro L. M. formula plenior V. S. L. M. existeret. Sed nobis illa mutatione non opus esse videtur, quae minore se commendat simplicitate, quod litera I, post nomen HVCDION, a litera proxima sequente S non est distincta puncto diacritico. De deae NEHALENNIAE natura, origine, cultu cet., quid tandem probabiliter statuendum videatur, alibi exponere tentabimus. Hic monuisse sufficiat, nobis, accurate perlustratis monumentis et omnibus fere virorum doctt. qui de NEHALENNIA egerunt scriptis, universe placere OUDENDORPII nostri sententiam scribentis, NEHALENNIAM deam tutelarem loci habitam fuisse et tanquam deam larem cultam; qualium deorum consuetum symbolum canis esse solet. Qui nominis barbari, a Romanis suo more contorti, explicationem, post superiorum interpretum conatus, denuo tentare aggrediatur, prudentissime rem instituturus videtur, si priorem nominis partem, NEHA s. NEH, a posteriore sejunxerit atque seorsum consideraverit. Hoc commendari videtur titulo DEAE NEHAEE cet., scripto in lapide prope *Tuitium* reperto, vid. GRUT. p. LXXXIX. 1. et Act. Acad. PALAT. V. 77. (nisi ibi legendum sit NEHALENNIAE); imprimis vero multis aliis peregrinarum dearum nominibus a vocabulo NEH incipientibus; cf. GRIMM, deutsche mythologie, p. 157.

5. In fronte arae oblongae ex lapide calcareo, *Domburgi* anno 1647 d. 5 Januarii detectae. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 11. n. 9 et haud pauci ante eum scriptores. — Alt. 0,69; lat. 0,40; crass. 0,365 Cub. Neèrl.

DEAE || NEHALENI || AE T*itus* FLAVI*us* || FORTVNATI*i* || LIB*ertus* || PRIMITIVS || V*otum* S*olvit* L*ibens* M*erito*.

In summitate sculpta apparent poma et fructus varii generis. OUDENDORPIUS, l. c.

titulum minus recte interpretatus est: *Deae Nehalenniae Titi Flavii Fortunati libertus Primitius votum solvit lubens merito.* Perperam scilicet suspicatus erat, vs. 4 post LIB, excidisse literam M, unde duo existerent nomina, unum T. FLAVII FORTVNATI, alterum M. PRIMITII, a Flavio libertate donati. Cannegieterus, in ann. MS. a. h. l. ex nominum T. FLAVII ratione suspicatus est, *libertum* nostrum patrem aut avum habuisse, qui ab imperatore Tito Flavio Vespasiano manumissus fuerit. — Literarum conditio parum differt a formis tituli Tab. X. n. 2 et 3 exhibiti.

TAB. XIV.

1. In ara oblonga lapidis calcarei, ex vico *Millingen*, duabus fere milliariis supra *Noviomagum*, ad Rheni divortia, sito; ubi per longam annorum seriem vetustae ecclesiae parieti impacta, postea arae Christianae fronti illata fuit; donec anno 1837, a viro plurimum reverendo J. G. Maeijer, ejusdem ecclesiae antistite, publicis sumtibus emere mihi contigit. Ediderunt, sed pessime: H. Cannegieterus, De mut. Nom. Rom. rat., edit. Lugd. Bat. 1773. p. 71, ex quo repetiverunt Act. Erud. Lips. anni 1761, p. 526; et ex ipsis his Actis Erud. Orellius n. 4588. Porro, J. In de Betouw, ex schedis G. Cuperi, in libello: Epistolae de aris et lapidibus ad Neomagum et Sanctenum effossis, Neomagi 1783. 8°; et in opusculo: Verklaaring en korte uitlegging etc. p. 71 et 72. — Alt. 0,88: lat. 0,55; crass. 0,30 Cub. Neêrl.

DEAE DOMINAE RVFIAE || [M]ATERNAE ARAM ET || [L]VCVM CONSACRAVIT ||MVCRONIA MARCIA || [V]BI OMNIBVS ANNIS SACRVM || INSTITVIT XVI *Kalendas* AVG*usti* || [E]T NATALI (sc. die) MATERNAE F*iliae* SVAE || VI (?) N*onas* (?) OCTOBRES ET PARENTALI (sc. die) || X *Kalendas* MARTIAS, RVFIS. SIMIL[I] || [P]ATRI ET SIMILI [F]*ilio* ET || [M]ATERNAE.

Vs. 3. CONSACRAVIT pro CONSECRAVIT. Vs. 8. contortae literae ab ipso quadratario, qui errorem a se commissum emendare voluerit, profectae esse videntur. Possis suspicari literas IVC*undissimae* sub iis latere; sed numeralis nota etiam requiritur.

Arae superficies manu recentiore planata est, ita ut ornamenta, si quae um-

quam ibi adfuerunt, perierint. In utroque sibi opposito latere arbor, foliis praegrandibus et fructibus oblongis instructa. Pars frontis inferior valde detrita est, vi, opinor, aquarum, quae saepe lapidem alluerint et excavaverint. Vexata lapidis facies, et obscurior ubi antea asservatus fuit locus, in causis fuerunt, quod priores titulum perperam legerint, nec nisi partem ejus expromserint. CANNEGIETERUS, qui ipsum lapidem conspexit, postquam octo priores versus, qualicunque modo extorquere conatus fuerat, intemperantius addidit: »reliqua non moror, quae mortalium nullus restituet, posteaquam ineptissimorum hominum manus literas omnes, quarum ductus imperite scalpro sequebantur, confuderunt." Nos priorum editorum lectiones non moramur, quoniam magis turbare quam illustrare possunt rectam tituli interpretationem. Cave autem ne vs. 1°. ante vocabulum DEAE, aliquid excidisse putes, ut fecit CANNEGIETERUS, qui sine causa restituit: [*Matri* I]DEAE. Hoc quum non placeret ORELLIO, hic legendum proposuit: D. M. DEAE (*Dis Manibus* DEAE) s. M. DEAE (*Memoriae* DEAE), quod tamen non magis ferendum. Vs. 9. hoc potissimum remanet difficultatis, utrum RVFIS, et quae proxime sequuntur, pendeant a vs. 6. SACRVM INSTITVIT, an vero a verbo quodam in fine tituli deleto aut omisso, v. c. *Posuit*. De aetate tituli mihi non constat, sed si ex literarum conditione judicare liceat, ad seculum secundum vel tertii initium illum referam; cf. Tab. X. 2 et 3. Hunc titulum, ampliore commentario instructum, seorsum edere mihi proposui.

2. In fragmento lapidis calcarei, in duas partes fracti, atque prope *Noviomagum* reperti, loco ubi arx militaris Kraijenhoffiana exstructa est. — Alt. 0,49; lat. 0,53; crass. 0,17.

DA[T].

Est finis inscriptionis votivae. De formula DAT, cf. Tab. XIII. 2.

3. In fronte arae oblongae ex lapide calcareo, atque in vico *Sundert* (*Brabantiae* septentrionalis) anno 1812 repertae. Ediderunt, addita monumenti imagine aeri incisa: J. DE BAST, Récueil des Antiq. etc. Supplem. II. p. 248, Gand, 1813, p. 248; C. LOOTS et D. J. VAN LENNEP, in Actis Classis II[ae] In-

stituti Regii Neêrlandici, Tom. I. p. 89 seqq. et Tom. II. p. 165 seqq.; cf. J. J. Raepsaet, Aanteek. op het Rapport der H. H. Loots en van Lennep, betreffende het gedenkstuk der Dea Sandraudiga (Amsterd. 1821. 4°). — Alt. 1,42, lat. 0,81: crass. 0,405 Cub. Neêrl.

DEAE || SANDRAVDIGAE || CVLTORES || TEMPLI.

Arae frons leviter fastigata est, atque in utroque superficiei angulo volumen cernitur ex foliis arborum, ut videtur, compactum. In superficie strages, sulcis quadratis striata, in cujus medio jacet pomum, surculo suo affixum; aliis phallus esse videtur. In utroque transverso latere exsculptum est cornu copiae, variis frugibus, ut pino, pyro, pomis, uvis, repletum. Quoniam in regione ubi lapis repertus est, plures vici reperiuntur quorum nomina exeunt in *rode*, ut *Oeden-rode*, *Middel-rode* (de quo vid. W. C. Ackersdijck, in Disput. over Taxandrië; vidd. Opp. Societatis Lit. Neêrl. anni 1838. p. 175, 176), suspicati sunt nonnulli viri docti, nomine Sandraudiga locum similem, v. c. *Sandrode* (quod a *Sundert* non valde diversum est) intelligendum esse. Non absimilis stili titulus, *Cavallae* repertus, memoratus est ab Osanno in Syll. Insc. fol. 399 hoc modo: CVLTORES [NVMIN]I SILBANI; quae rectius restituas: CVLTORES [TEMPL]I SILBANI. Si nomen *Sandraudiga* teutonici, ut credimus, originis est, satis ingeniosa habebitur illorum conjectura, qui illud ortum existimant ex *sand*, arena, et *rode*, exstirpare; de quo posteriore vocabulo cf. Doct. Hoeufft, Taalkundige Bijdragen; Breda, 1816. p. 103 seqq.

4. In fronte arae oblongae ex lapide calcareo prope *Xanten* (*Vetera*) repertae, atque olim in Museo Papenbroekii asservatae. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 13. n. 12. Ante Oudendorpium ediderunt: Cannegieterus, in Brittenburgo p. 21 et quos laudat; Sponius, Ant. Lugd. p. 88, 94 et Keislerus, Ant. Celt. p. 371. Post Oudendorpium, (J. In de Betouw) — Opschriften te Nijmegen, l. c. p. 45, et Steiner. Cod. Insc. Rom. Rheni, n. 648. — Alt 0,42; lat. 0,34; crass. 0,10 Cub. Neêrl.

Matribus BRITTIS MAX[I] || ACIS LANDAC[*us*] || *Miles Legionis* XXX *Vlpiae* VI[C]*tricis* [ET] || IN PRL VVN : : (s. VIN : :) : : : : : : : : : : : || : : : : : : : : : : || : : : : : : : : : : ||

OUDENDORPII *lectio.* M. BRITTIS. MAX . . . || ACIS LANDAC . . . . || M. L. XXX. V. V. ET . . . || IN. PR. L. (IVR\) . . . . || . . . (!) VDN; sed in annot. MS. duos posteriores versus legit: CN. PRL. PVR\ . . . . || . . . . NDN . . . .

CANNEGIETERUS, qui in Museo PAPENBROEKII lapidem viderat, titulum sic exhibuit: M. BRITTIS MAX . . || ACISLANDAC . . . || M. LXXXVV || CNPREPVR . .

Ara leviter fastigata et tympano instructa est foliis ornato. In superficie strages, cui pomum impositum est. In utroque latere arbor aut ramus, operis rudioris. Lapis truncatus est et valde detritus, ita ut titulum in integrum restaurare nobis non contigerit. In adhibenda OUDENDORPII recensione, hoc loco majore cautione opus est, quod versu 1 et 3, non satis recte legit. Conjecit quoque minus feliciter, sub versu 4°. latere *legionem primam Minerviam.* In fine tituli fortasse solennis formula V. S. L. M. excidit; qualis legitur in simili lapide ibidem reperto, quem cum alii ediderunt, tum primus et optime G. CUPERUS, Insc. et marm. ant. p. 267, sic se habentem: MATRIBVS || BRITTIS || L. VALERIVS || MIL. LEG. XXX || V. V. || V. S. L. M. Eundem quoque nuper, ex vetere MS. Xanthensi, memoravit J. MOOREN, in opusculo: Alterthümliche Merkwürdigkeiten der Stadt Xanthen, etc., zusammengetragen durch J. P. SPENRATH; Crefeld 1837—1838. 8°. T. II. p. 50—51. Ex lapidibus variis Matrum titulo insignitis, hoc effici posse videtur, Matres illas nomina accepisse sive ab hominibus, sive populis, sive urbibus et stationibus, sive regionibus, sive denique silvis. Loquuntur enim tituli de Matribus Augustis; Suebis, Gallaicis, Brittis; Treveris et Quadruburgensibus; Pannoniorum et Dalmatiarum; Silveis. Illas dearum etiam titulos gessisse, docent illi lapides, qui DEABVS MATRIBVS et DEABVS MAIRIS inscripti sunt. Titulum nostrum post TRAJANUM ponendum esse, Legionis XXX Ulpiae nomen indicat; sed fortasse ante SEVERUM exstitit, quod ab hoc Imperatore Legio XXX cognomen Severiana accepit.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS SEPULCRALIBUS.

TAB. XV.

1. In fronte arae marmoreae quadratae, intus excavatae, quam *Roma* olim devexit J. DE WITT; quo defuncto emit UILENBROEKIUS, a quo nactus est PAPENBROEKIUS. Edidit OUDENDORPIUS, l. c. p. 17. n. 17, addens: »ultimi possessores recte in suis schedis notarunt, mirandum esse, inter tot viros qui inscriptionem publicarunt, nullum reperiri qui omnino sine vitiis, aut satis exacte descriptam dederit: sicut a nemine vera inscriptionis facies est exhibita. Adi, si vis, JAC. MAZOCCHII Epigramm. Ant. Urb. Rom. 1521. p. 131; P. APIANI et BARTH. AMANTII Inscript. Ingolst. 1534. p. 236; A. MANUTII Orthograph., Ven. 1566. p. 268; J. JACOBONIUM, de prisca Caesiorum gente, p. 133: MART. SMETII, Inscript. Antiq. Lugd. Bat. 1588. p. 46; P. PITHAEI, Epigr. Vet. Par. 1590. p. 121; M. ZUERII BOXHORN. Monum. Ill. Vir. F. 120; C. BARTHII Adversar. p. 2424, qui duas inscriptiones confundit et conflat, ut patet ex GRUTERI Inscript. p. 319 et 843, et J. BAPT. FERRETII Mus. Lapid. Veron. 1672. p. 42." Quibus addantur [FLEETWOOD, Inscr. Ant. p. 137. R.] et ORELL. C. I. n. 2442. — Alt. 0,545; lat. 0,46; crass. 0,35 Cub. Neërl.

IVLIA PROCILLA VIX*it* AN*nos* XIX || AMARANTVS CAESARIS AEDITV*u*S || AB
CONCORDIA CO*n*IVGI BENE || MERITAE POSVIT. ||
HVNC TIBI PERPETVO TITVLVM || GRATISSIMA CO*n*IVNX,
CORPORIS || EXTINCTI DEDICAT IPSA FIDES;
VIXISTI || MECVM IVVENIS CAROSQ*ue* PER ANNOS ||
QVOS VITA || EXIGI DVLCITER || IPSE MEA ||
OPTO SI QVA FIDES || REMANET TVLLVRIS || AMICAE,
SIT TIBI || PERPETVO TERRA || [L]EVIS TVMVLO.

Vs. 2. AEDITVS pro AEDITVVS; vs. 3. COIVGI pro CONIVGI; vs. 6. COIVNX pro CONIVX; vs. 10. EXIGI pro EXEGI; vs. 13. TVLLVRIS pro TELLVRIS.

Oudendorpius l. c. vs. 10. perperam legit EXIGI; hunc non accurate secutus est Orellius, versu 3°. CONIVGI et vs. 9. EXIGI scribens, atque vs. 12. de suo mutans TVLLVRIS in TELLVRIS.

Aquila, Apotheoseos symbolum, quae in media ara cernitur, expansis alis inscriptionis maximam partem, veluti tabellae insculptam, gestare videtur. Foramen in umbilico a manu posteriore profectum est. Duo latera opposita parietes exprimunt, quadrato lapide exstructas; in dextro latere guttus aut phiala, in sinistro patera sculpta est.

2. In fronte operculi marmorei urnae quadratae, quam ex *Italia* secum attulit J. de Witt; postea possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 27. n. 29. — Alt. 0,385; lat. 0,18 Cub. Neêrl.

DIS *Manibus* || TERENTIAE LIBERAE *Publius* CLITIVS || EPAPRODITVS CONIVGI *Bene* || *Meritae Fecit Quae* ANnos *Nata* XXV *Menses* VIII.

Vs. 3. EPAPRODIIVS perperam pro EPAPRODITVS sculptum est; error ab Oudendorpio non notatus. In operculi superficie eleganter sculptae sunt calices duo, similes iis, quae v. c. habentur Tab. III. n. 2, Descriptionis Oudendorpii.

3. In lamina marmorea, quam ex *Italia* advexit J. de Witt; deinde possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 13. n. 37, et edidit Maffeius, in Mus. Veron. p. 450 n. 4. — Alt. 0,385; lat. 0,18 Cub. Neêrl.

Dis Manibus || *Cajus* SERVENIVS ARTEMID || ORVS VALER || AE PHILIPPI || NAE CONIVGI BE*ne* || MERENTI FECIT || CVM QVA VIX*it* || ANNIS VI.

Errores quadratarii. Vs. 4. PHILIIPPI pro PHILIPPI; vs. 7. QVX pro QVA; vs. 8. ANLS pro ANNIS. Maffeius, l. c. versus 8 et 9. legit: *cum qua vixit annos quinquaginta septimanas sex.*

4. In lamina marmoris quadrata, quam ex *Italia* deportavit J. DE WITT; postea possedit PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 34. n. 40; edidit MAFFEIUS, Mus. Ver. p. 449. n. 4. — Alt. 0,31; lat. 0,44 Cub. Neêrl.

Dis Manibus || CLAVDIAE || SVCCESSAE || VIX*it* ANN*is* XXXVI || MENS*ibus* V DIEB*us* XV || TI*berius* CLAVDIVS BLASTVS || LIB*ertae* SVAE ET CONIVGI *Bene Meritae.*

Ex nominibus TI. CLAVDIVS vs. 6, et CLAVDIAE vs. 2, efficere licet, illum, qui titulum poni jussit, aut patrem illius aut avum, a Caesare TIBERIO CLAUDIO libertate fuisse donatum. BLASTUS AUG. LIB. memoratur quoque in titulo sepulcrali Campanensi; vid. JAHNII Specim. Epigr. p. 36. n. 90; et cf. annot. ibidem p. 140.

5. In fronte urnae quadratae, elegantissime exsculptae, quam ex *Oriente* delatam, primus possedit NIC. WITSENIUS, postea PAPENBROEKIUS. Monumenti effigiem et descriptionem dedit OUDENDORPIUS l. c. p. 29. n. 32, Tab. III. 1; titulum edidit MAFFEIUS, Mus. Veron. p. 449. n. 7, et ectypum urnae, sed elegantia archetypo longe inferior, G. CUPERUS, in Mon. Ant. p. 237. — Alt. 0,31; lat. 0,44 Cub. Neêrl.

Decius HATERIVS FAMVLVS || FECIT SIBI ET || POLLENTIAE PRIMIGENIAE || CONIVGI SVAE.

OUDENDORPIUS l. c. hoc memoratu dignum addidit, »urnam olim complexam in se fuisse binas ollas, cineribus repletas atque phialam lacrymalem. In ollis sine dubio illorum conjugum cineres fuere." In quibus hoc solum animadvertendum est, quod posterior aetas docuit phialas illas, quas OUDENDORPIUS multique alii lachrymales dicere solent, verosimiliter numquam extitisse, sed fuisse guttos, quibus oleum odoriferum aut unguenta conderentur. Ut nunc argumenta et multos scriptores taceam, vid. ROULEZ in: Bulletin de l'Académie Roy. de Brux. T. V. n. 5; et cff. Rhein. Museum f. Philol. 1841. P. I. p. 124, et Neue Mitth. des Thür. Sächs. Vereins, Tom. V. P. IV. p. 141 seqq.

TAB. XVI.

1. In fronte laminae marmoreae oblongae sed arcuatae, quam ex *Italia* advexit J. de Witt, deinde possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 34. n. 39; titulum quoque edidit Sc. Maffeius, in Mus. Veron. p. 450. n. 1. — Alt. 0,465; lat. 0,30 Cub. Neêrl.

D*is* M*anibus* || SYRIAE MYRTIDI || P*ublius* LABERIVS || ABASCANTVS || CONIVGI B*ene* M*erenti* P*osuit* || ET SIBI ET SVIS || POSTERISQ*ue* EORVM || LO*n*GVM (sc. sepulcrum) P*edes* X; LATVM P*edes* III.

Lamina, in parte inferiore fracta, vestigia foraminis rotundi prodit.

2. In ara oblonga marmorea, quae *Romaeoburgi* reperta dicitur, quamque Reuvensius anno 1822 emit a quadratario Leydensi, nomine Kasteele, Museoque donavit. — Alt. 0,50; lat. 0,37 Cub. Neêrl.

M*arco* SERGIO || [I]RENAEO || [C]ONIVGI CARISSIM*o* || SERGIA || PHILTATE || FECIT CVM QVO || VIX*it* ANN*os* XXX.

In laterum altero guttus aut phiala sculpta est, in altero patera. In superficie cavitas est, cui olim aliquid impositum fuerit. Dubitavit, ut mihi ex nota MS. patuit, Reuvensius, an lapis ibi repertus fuerit ubi a quadratario Kasteele effossus perhibebatur. Mihi cum aliae dubitandi rationes ad manus sunt, tum haec, inscriptiones in marmore scriptas numquam in patria nostra repertas esse. — Sed fieri potest ut *Romaeoburgi* effossum quidem fuerit, neque tamen Romanorum tempore eo delatum; fortasse ex praedio recentioris aevi oriundum, qualia nostrates olim antiquis, ex *Italia* et *Graecia* advectis, statuis aliisque monumentis exornare solebant. Idem obtinet in marmore Smyrnensi, in villa Santhorstiana reperto, de quo vide supra p. 18.

3. In lamina marmoris albi, ex *Italia*, ut videtur, advecta. Olim pars fuit collectionis Papenbroekianae. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 21. n. 21, et edidit Maffeius, Mus. Veron. p. 449. n. 9.

Dis Manibus Sacrum || TI*berio* CLAVDIO PAPAE || FECIT || CLAVDIA CYPARE || CONIVGI SVO *Bene Merenti.*

Ex nominibus TIBERIO CLAVDIO et CLAVDIA, vs. 2 et 4 memoratis, haud temere efficias, titulum spectare homines, qui aut ipsi aut quorum proavi ab Imperatore TIB. CLAUDIO libertate donati sint.

4. In fronte urnae marmoreae rotundae, *Roma* a WITTIO, qui illam ab antiquario Luco Corso emerat, advectae, et postea museo Papenbroekiano illatae. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 10. n. 8, atque ectypon dedit ibidem, Tab. 2; quod secuti sunt Benedictini *St. Mauri* in opere: Neues Lehrgebäude der Diplomatik, edit. J. C. ADELUNG, Tom. III. p. 293 — 294. et Tab. XXVII, Cl. VII. n. 4. Urnae historiam et delineationem titulique explicationem dedit in Commentario J. P. D'ORVILLIUS, Misc. Obs. Nov. T. III. A. 1741. p. 120 etc.; cf. HADR. RELAND. Diss. IV. de Num. Samar. p. 131, 132. — Alt. 0,28; lat. 0,29⁵ Cub. Neêrl.

D*is* M*anibus* || T*ito* AELIO AVG*usti* LIB*erto* TITIANO PROX*imo* || A LIBR*is* SA CERDOTAL*ibus* DEF*uncto* CARNVNT*i* || ANN*is* XXXXII M*ensibus* III D*iebus* XIX MARIT*o* VIRGIN*i* || DVLCISS*imo* ET INCOMPARABILI BENE || QVE MERITO QVEM FVNERAVIT || FL*avia* AMPELIS CONIVX CARISSIMA || ET RELIQVIAS EIVS PERMISSV IMP*eratoris* || IPSA PERTVLIT CONSECRAVIT QVE || CVM Q*uo* V*ixit* A*nnis* XII M*ensibus* III D*iebus* XXI SINE VLLA || QVE RELLA.

Carnuntum, quod versu 3°. memoratur atque interdum *Karnuntum* scribitur, ut est in inscriptione Vindobonensi, apud ORELL. n. 4964, hodie est *S. Petronella;* vid. KRUSE, Archif. für alte Geogr. III. p. 10.

5. In fronte urnae marmoreae, olim *Roma* a WITTIO advectae, postea collectioni Papenbroekianae illatae. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 28. n. 31; edidit MAFFEIUS, Mus. Veron. p. 450. n. 3. — Alt. 0,50; lat. 0,26 Cub. Neêrl.

DIIS MANIBVS || *Quinti* FLORII, *Quinti Filii* TERENTINa QVINTIO || BAEBIA THAIS CO[NI]VGI || SVO CARISSIMO BENEMERENTI || ET PIISSIMO DE SVO FECIT.

Urna formam habet canthari ansati, atque operculo praedita est quod in umbonem desinit.

6. In pariete anteriore urnae, ut videtur, marmoreae, ex *Italia* a Wittio advectae, postea in collectionem Papenbroekii translatae. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 15. n. 14, quem secutus est Orellius C. I. n. 171. Edidit etiam Maffeius, Mus. Veron. p. 450, 1. — Alt. 0,32; lat. 0,37 Cub. Neêrl.

DIS MANibus || *Lucio Iulio* VOGVSIO || NAT[I]ONE FRISeo || FECIT NAEVIA FORTVNIA || CO[N]IVGI INCOMPARABILI || CVM QVO VIXit ANnis XIX.

Titulus spurius nobis videtur, atque ipsa etiam illa pars lapidis, in qua *Frisei* nomen legitur, recentioris operis est. Ceterae lapidis partes probae quidem sunt vetustatis, ut ornamenta detrita docent, quae hic illic pellucent; sed literae omnes aut a recentiore manu profectae sunt, aut ita renovatae, ut pro novis sint accipiendae. Renovatio autem illa minorem suspicionem movisset, nisi nonnulla literarum vestigia ostenderent, olim aliam inscriptionem ipsi insculptam fuisse, cujus literarum positio cum literis nostri tituli non quadrare potuerit. Fraus illa non suboluit editoribus superioribus; sed Reuvensio, ut ex annot. MS. intelligitur, pars lapidis superior recens, cetera renovata visa sunt; atque Leemansius, qui titulum excitavit in commentatiuncula: Observations on three Roman sepulchral inscriptions found at Watermore, inserta Archaeol. Britt. Vol. XXVII. p. 211—228, hoc modo de germana ejus indole subdubitavit, ut partem sinistram (left) renovatam scriberet.

TAB. XVII.

1. In lamella quadrata ex lapide calcareo, ex *Italia*, ut videtur, oriunda. Pars fuit collectionis Papenbroekii, atque descripsit Oudendorpius, l. c. p. 44. n. 54; edidit Maffeius, Mus. Veron. p. 449. n. 6. — Alt. 0,125; lat. 0,165 Cub. Neêrl.

Dis Manibus || CL*audia* CASTA || CONIVGI SVO CAR*issimo* || FEC*it*, VIXIT ANNOS || XXXIII MENS*es* II.

In superiore parte duo foramina habet, clavis inserendis apta.

2. In tabula marmorea ad caeruleum colorem vergente, quam ex *Italia* quondam attulit J. de Witt, postea possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 46. n. 58. — Alt. 0,205; lat. 0,39 Cub. Neêrl.

Dis Manibus || *Publio* CAESIO EVTYCHETI, || FIL*io Bene Merito Qui Vixit Annis* XXII *Mensibus* X *Diebus* XXIV *Horis* III. FONTEIVS EVTYCHES || ET HELPIDVS PARENTES *Dederunt.*

Oudendorpius l. c. ad vs. 2 — 3 bene monuit: „naturalis pater Fontejus Eutyches, et, qui Publium Eutycheten adoptaverat, Caesius Helpidus, ut *Caesia Hel.* et *Caesius Hel.* in inscriptionibus apud Jul. Jacobon. App. de G. Caesiorum p. 217."

3. In tabula marmoris albi, reperta Neapolitano in mari et ex *Italia* advecta a Wittio; postea possedit Uilenbroekius, ex cujus supellectile antiquaria in museum Papenbroekii migravit. Descripsit Oudendorp. l. c. p. 40. n. 50. Edidit quoque Gorius, Insc. Etr. T. I. p. 266, et Murat. II. p. mcclxxi. — Alt. 0,335; lat. 0,44 Cub. Neêrl.

Dis Manibus Sacrum. NON SVF[F]ECERAT VNO DOLORE || MISERAS VIVERE PARENTES, || QVOD IAM VNAM NATAM OMISER || ANT ANTE, ECCE NVNC ET ALIAM || SEPELITAM VNO DOLORE, || QVOD IAM PROPE NVPTVM MI SERE || DEFVNCTAE SVNT AMBAE, SED || QVI DOLOR ABSIT NOBIS, HAR MONIA RVFINA RELICTA EST VT ANNI || S XIII *Mensibus* VI *Diebus* XXVI NOBISCVM ADVIXERIS (sic) VNA. ET NOS OPTAMVS || AD VOS PROPE RARE PARENTES || EGO PATER HARMONIVS IANVA || RIVS CVM VESTRA MATRE || QVAE GEMIT VIVIT ET DOLET, CLO || DIA TROPHIME, NEC DV BITA || MVS ENIM VITA CARERE MO[LESTA].

Vs. 2. SVFECERAT pro SVFFECERAT; vs. 3. BIBERE pro VIVERE; vs. 6. SAEPELITAM pro SEPVLTAM; vs. 6. DOLOREM pro DOLORE; vs. 7. NYPPTVM pro NVPTVM; vs. 7. MISERAE pro MISERE; vs. 8. SET pro SED; vs. 9. ABSTE pro ABSIT; vs. 10. RELICTVM EST pro RELICTA EST; vs. 11—12. ADVIXERIS pro VIVERET (?); vs. 15. BESTRAM MATREM pro VESTRA MATRE; vs. 16. QVE pro QVAE; vs. 16. VIBET pro VIVIT; vs. 16—17 DVBITAMVR pro DVBITAMVS.

Oudendorpius l. c. docet lapidem inventum esse una cum parva urna, et fixum olim fuisse ante cavam cujusdam Eremitae, quae *Puteolis* laeva, qua itur ad arcum Felicem, medio fere milliario distabat; illinc anno 1688 clam esse subreptum; de quo vid. Gorius l. c. Reuvensius in ann. MS. recte vidit manifesta indicia versuum barbare factorum, ut vs. 9—10, QVI DOLOR - - RELICTVM EST; vs. 12. ET NOS OPTAMVS AD VOS PROPERARE PARENTES etc.; atque ad simile pravae latinitatis exemplar ablegavit, quod hodie exstat in Museo Reg. Paris. sub mon. n. 77, edidit vero Gruterus p. 676. 11.

4. In tabula marmoris albi, quam, olim in villa Ursina positam, ex *Italia* advexit J. de Witt, sed quae postea in collectionem Papenbroekii venit. Edidit primus Muratorius, T. II. p. MCCXXXV, sed melius Oudendorpius l. c. p. 47. n. 59. — Alt. 0,26; lat. 0,265 Cub. Neërl.

Dis Manibus || LVCILLIANO FIL*io* || ADIVTOR ET MAR || CIA PAR*entes*, || QVI *Vixit Annis* || IIII *Mensibus* VIIII *Diebus* XV || BENE *Merenti* FECER || *unt* EX CORPORE || SVBAEDIANO.

Vs. 7. BENAE pro BENE; CORPORAE pro CORPORE.

Oudendorpius l. c. ignorare se fatetur, quale fuerit *corpus* illud seu collegium *subaedianum*. Neque alibi, quod sciam, mentio ejus injicitur. Reuvensius manu notavit locum Plauti (*Curcul.* Act. IV. Scen. I. vs. 19), „sub veteribus ibi sunt qui dant quique accipiunt foenore."

5. In lamina marmorea, quam, olim *Romae* in horto sub vinea Medicea positam, advexit J. de Witt; quaeque postea in collectionem Papenbroekii migravit. Ediderunt, sed non accurate, Reines. Cl. XV. n. 27. p. 791, Grut. p. 955. n. 9, aliique. — Alt. 0,31; lat. 0,21 Cub. Neërl.

DIS || MANIB*us* *Lucio* CESTIO VALENTI VIX*it* ANN*is* XV FEC*it* MACAREIVS *Fratri* PIISSIMO.

6. In lamina marmorea, quam ex *Italia* olim ab J. DE WITT allatam possedit deinde PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 48. n. 61. Edidit MAFFEIUS, Mus. Veron. p. CCCCXLIX. n. 5. — Alt. 0,17; lat. 0,225 Cub. Neërl.

DIS MANIB*us* || LAVRO || P*ublii* CAVCILI*i* CELERIS || VERN*ae* VIX*it* ANN*is* XIII *Mensibus* III || CAVCILIA COMPSE MATER || FILIO DVLCISSIMO.

OUDENDORPIUS l. c. suspicatus est, vs. 3 et 5 nomina CAVCILIA et CAVCILI sculpta esse pro CAICILIA et CAICILI, et haec pro CAECILIA et CAECILI, quod tamen mihi non verisimile esse videtur.

TAB. XVIII.

1. In fronte urnae marmoris albi, undularum sive flammarum in speciem eleganter striatae, quam ex *Italia* quondam attulit J. DE WITT, possedit postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORP. l. c. p. 9. n. 7; edidit MAFFEIUS, Mus. Veron. p. CCCCL, n. 2. — Alt. 0,24; lat. in diametro 0,26 Cub. Neërl.

Dis Manibus CN*eji* PAL || LI*i* SABINIA || NI *Qui* VIX*it* AN*nos* || XXIIII DIES || XXIIII POL || LIA FORTV || NATA MIS || ERA MA || TER FECIT.

Ab utraque inscriptionis parte stat genius alatus, stolatus et bis cinctus, qui brachiis et manibus, ad latera dependentibus, demissas pallae lascinias tenet.

2. In fronte arae quadratae ex marmore albo, quam *Roma* advexit J. DE WITT, postea habuit PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 46. n. 57. Ediderunt GORIUS, inter Doniana Cl. X. n. 110 et MURATOR. II. p. MCLXIX. n. 5. — Alt. 0,165; lat. 0,305 Cub. Neërl.

DIS M[A]N*ibus* || *Quinto* FVLVIO || FESTO VIXIT || ANNIS || XLII DIEBVS V || FEC*it* FVLVIA || CHRYSIS FILIO || PIISSIMO || ET SIBI.

Post versum 2um folium sculptum conspicitur; de quo ornamento, ut distinctionis signo in latinis titulis obvio, vid. BELLERMANN, Die ält. Christl. Begräbnisstätten, p. 83,

et quos excitavit JAHN. Spec. Epigr. p. 76; in Graecis, FRANZIUS l. c. p. 375, et quas excitavit inscriptiones ex C. I. Superior lapidis pars truncata est, quo factum, ut apices literarum versus primi evanuerint. In superficie est cavitas quadrata, recentioris, ut videtur, operis. In latere dextro sculptus est cantharus, in sinistro patera; retro oliva conspicitur.

3. In tabula quadrata marmoris caerulei albo mixti, quae olim *Romae* fuit, quamque deinde possedit CONST. HUGENIUS, postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 50. n. 64. Ediderunt FABRETT. Insc. Cap. IV. p. 264, et GRUT., p. 563. 12, sed perquam vitiose. — Alt. 0,27; lat. 0,27 Cub. Neërl.

SEX*to* TRVTTEDIO SE*xti* FIL*io* || POL*lia* MAXIMIANO || FVIT (sic) AD SVPE [R]OS MENSES VII, || TRVTTIDIVS CLEMENS || TRIB*unus* COH*ortis* II VI G*ilum* || ET MARRINIA PROCVLA || FILIO KARISSIMO.

OUDENDORPIUS de restituendo vs. 3. has conjecturas proposuit, 1. EVIT*ato* (i. e. *vita rapto*) A[B] SVPERIS; 2. [I]VIT AD SVPE[R]OS; 3. [F]VIT AD SVPEROS, (AD pro APVD). Priorem conjecturam ipse probare videtur; nobis posterior praeplacet. Mediam ipse OUDENDORPIUS evertit, monens, veteres non credidisse privatos et infantes mortuos in coelum venire. Nostram vero lectionem quominus ab omni parte probabilem habeamus, impedit dicendi formula *ad superos*, quae sensu *inter homines*, *in vita*, an veteribus usitata fuerit, dubitem.

4. In fragmento marmoris caerulei, quod ex *Italia* attulit J. DE WITT, possedit postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 36. n. 43. — Alt. 0,20; lat. 0,23 Cub. Neërl.

D*is* [M]*anibus* || AVRELIA : : : : : : || FECIT PA*rens* || FILIO KAR*issimo* || QVI VIXIT A*nnis* : : M*ensibus* V DIEBVS X [H*oris* : ?]

5. In lamina marmoris albi, quam olim ex *Italia* a WITTIO advectam postea possedit PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 45. n. 56. — Alt. 0,18; lat. 0,17 Cub. Neërl.

a. [DIS MANIBVS] EVCARPO || [TI*berius* CLAVD*ius* (etc.?) PA]TER ET CLAV*dia* [TITIA (etc.?) CONIV]X ET TI*berius* CLAV*dius* || [E]T FL*avia* TITIA FIL*ii*. [PA]REN*tes* FECERVNT || [SIBI ET FILIIS PO]STERISQ*ue* [EORV]M.

b. : : : : [L]O VA[L]*erio* (?) || INFANTI || OP*timo* ET D*ulcissimo* F*ecit*.

Inscriptio *a.* in una lapidis parte, *b.* in altera sculpta est; utraque vero ordine transverso. Spatio tituli *a.* recte dimenso, consequi videtur, initio tituli *b.* duodecim versus deesse. Oudendorpius, qui vs. 4. tituli *a.* non *filii*, sed *filiis* supplevit, atque sine idonea causa suspicatus est in fine aliquid deesse, a titulorum restauratione abstinuit.

6. In fronte urnae ex marmore albo caeruleis venis distincto, quam ex *Italia* abduxit J. de Witt, possedit postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 30. n. 33; edidit Maffeius, Mus. Veron. p. ccccxlix. 8. — Alt. 0,285; lat. 0,33 Cub. Neërl.

DIS *Manibus* || *Caji* LORANI GLYCO || NIS, LORANIA STACTE, FILIO PIIS SIMO.

Urna formam habet canthari ansati, atque operculo praedita est artificiose striato et in umbonem desinente.

7. In fronte urnae quadratae ex albo marmore satis eleganter exsculptae, ex *Italia*, ut videtur, oriundae, et a Papenbroekio olim possessae. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 28. n. 30. Ectypum ejus dedit, qui quondam possedit, Jac. de Wilde, in Signis antiq. Fig. 56. — Alt. 0,215; lat. 0,32 Cub. Neërl.

Dis Manibus Publio AELIO || AVG*usti* LIB*erto* HIERACI || SECVNDINA FILIA || PATRI PIENTISSIMO || FECIT.

Oudendorpius, l. c. monuit, operculum, quod nunc deest, adhuc reliquum fuisse, quum venderetur una cum ceteris antiquariae rei reliquiis a Carolo Heidano possessis, » si credere licet, inquit, typis impresso earum indici."

Ex nomine AELIO AVG. LIB*erto* efficias, titulum Hadriani aevo non multo recentiorem esse.

TAB. XVIIII.

1. In lamina quadrata marmoris albi, ex *Italia* a Wittio allati, deinde vero in collectionem Papenbroekianam transvecti. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 33. n. 38. Edidit Muratorius, T. III. p. mcclxix. n. 7. — Alt. 0,30; lat. 0,35 Cub. Neêrl.

D*is* M*anibus* || NVMMIAE AELIADI || NVMMIVS GLYCERVS || FIL*ius* || ET AE LIADES FRATER || BENE MERENTI FECE || RVNT.

Oudendorpius l. c. monuit, ductus litterarum A, M et N barbarum quid Gothicumve referre. Sed similes literarum formae in latinis inscriptionibus posteriorum temporum non raro obviae sunt. Titulum ad sec. III aut IV referendum esse, suspicatus est Reuvensius in annot. MS. a. h. l.

2. In Tabula oblonga marmoris candidi caeruleis venis mixti, *Roma* advecta et denique in collectionem Papenbroekii delata. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 19. n. 19. Edidit Grut. p. 455. 2. et p. 459, 9. aliique. — Alt. 0,41; lat. 0,39 Cub. Neêrl.

D*is* M*anibus* || G*Nejo* POMPEIO || POMPE[I]A[N]O || E[Q]VO PVBLICO || TRIBV NO LEG*ionis* II[I] ITALICE PRAEFECTO || COHORTIS AF[R]ORVM ||, IN DACIA ||. POMPEIA CLEOBVLA || ET CLEOPATRA FRATRI || KARISSIMO.

Vs. 3. POMPEAAO pro POMPEIANO; vs. 4. EOVO pro EQVO; vs. 5. IIT pro III; vs. 5. ITALICE pro ITALICAE; vs. 6. AFORVM pro AFRORVM; vs. 7. IN DACIAM pro IN DACIA.

Olim *Romae* fuit in aedibus Cavaleriis; deinde in hortis Bosii, ubi vidit et descripsit Gudius, anno mdclxiii; postea fuit *Hagae Comitis* in aedibus Constant. Hugenii. Oudendorpius l. c. monuit, vs. 7 *in* Daciam pro *intra* Daciam sumendum esse; vid. Drakenb. ad Liv. X. 19 et Oudendorp. ad Front. I. 3. 5.

3. In tabula marmoris albi, in partes novem diffracta, quam *Lobidae*, Africae Sept. urbi (veterum *Leptis*. de quo vid. SHAW. Itin. Vol. I. p. 243) repertam, anno 1824 huc misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,505; lat. 1,77 Cub. Neêrl.

Marco AEMILIO *Lucii Filio* PAL*atina* SVPERO || PRAEF*ecto* FABR*um* FLAM*ini* DIVI AVG*usti* PERP*etuo* FRATRI OPTIMO || *Marcus* AEMILIVS *Lucii Filius* PAT*er* RESPECTVS PRAEF*ectus* FABR*um* FLAMEN PERP*etuus* || DIVI AVG*usti* TRIB*unus* MIL*itaris* LEG*ionis* III, AVG*ustae*, FRATRI SVO PIISSIMO POST MORTEM EIVS FECIT.

Ex DIVI AVG*usti* mentione vs. 2 et 4 efficias, titulum AUGUSTI aetate non multo recentiorem esse. Observari imprimis meretur discrimen inter literarum formas versus primi, quae ad quadratam scribendi rationem accedunt, et inter ceteras literas, tenues illas et graciliores, quae conveniunt cum literis titulorum Uticensium, Tab. XI. 1 et 2 exhibitorum.

4. In marmore quadrato coloris albi, olim ex *Italia* a WITTIO advecto, postea in museum Papenbroekianum delato. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 39. n. 48. — Alt. 0,30; lat. 0,48 Cub. Neêrl.

Dis Manibus || CAECILIA *Publii Liberta* FELIX || FECIT *Publio* CVSPIO EROTI || PATRONO BENEMERENTI || *Absit Dolus Malus Huic Monumento.*

Vs. 4. BEHEMERENTI pro BENEMERENTI.

Nisi totum monumentum, saltem titulus valde suspectus mihi videtur, cum propter recentem elegantiam quam literae prae se ferunt, tum propter punctorum diacriticorum formam rotundam, quae in marmoribus minus usitata sunt, nisi cum aliis formis permisceantur. Accedit fractio in lapidis margine superiore, nunc quidem restaurata, olim vero de industria, ut nobis videtur, serrata; idque eo consilio, ut lapidis facies vetustior appareret.

5. In quadro urnae marmoreae originis incertae; olim fuit in Museo Regio rerum curiosarum Amstelodamensi, unde anno 1824 huc delatum est. — Alt. 0,315; lat. 0,31 Cub. Neêrl.

Dis Manibus MVRRIAE || PROCLAE *Publii Filiae* MVRRIA AGALMA || FECIT PATRONAE || BENEMERENTI.

14

Vs. 4. EECIT pro FECIT.

Urna a tergo rotunda est. In superiore parte angulorum exsculpta sunt capita arietum. In operculi fastigati fronte, aquila conspicitur alas expandens. Sed totum monumentum mihi suspectum est, propter recentem speciem, quam artis stilus et formae literarum prae se ferunt.

TAB. XX.

1. In tabella ex marmore albo ad caeruleum vergente, quam *Roma* devectam olim possedit CONST. HUGENIUS, postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 37. n. 45; atque ediderunt, sed minus accurate, GUDIUS, p. 346. n. 1. qui *Romae* vidit, et MURATOR. III. p. 1545. 10. — Alt. 0,22; lat. 0,31 Cub. Neërl.

DIS MANIB*us* || LIVIA SVCCESSA || VIX*it Annis* VII MENS*ibus* V || DIEB*us* XV FECIT || LIVIA FACETA || VERNAE SVAE.

2. In lamina marmoris candidi, quae olim *Romae* fuit, in hortis Matthaejorum; deinde *Hagae Comitis*, in aedibus CONST. HUGENII; postea in collectione Papenbroekiana. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 21. n. 22; atque ediderunt, sed vitiose, GUDIUS p. 75. 6, et MURATOR. I. p. 485. 3. — Alt. 0,18; lat. 0,41 Cub. Neërl.

Cajus SEPTVMIVS TE*rentii Libertus* SARRONIVS || PAVIMENTVM DE SVO || FECIT SIBI ET SOCIIS.

OUDENDORPIUS, l. c. paullo temerarius conjecisse videtur, literas, vs. 1. S ⸔ TE ⸔ L ⸔ interpretandas esse STEL*latina*, *sc. domo.* [Vs. 2. *pavimentum*, SPONIUS Misc. p. 268 interpretatus est *strationem marmoris.* R.]

3. In lamina marmoris albi, sed subfusci, *Roma*, ubi quondam in villa Caesarina fuit, a WITTIO allati, postea in collectionem PAPENBROEKII transvecti. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 36. n. 44. Ediderunt GUDIUS p. 356. n. 16. et MURATOR. Tom. III. p. 1582. 9. — Alt. 1,17; lat. 0,46 Cub. Neërl.

CN*ejus* FICTORIVS CN*eji* *Libertus* || ENIOCHVS || HERENNIA *Caji* *Liberta* STRATEGIS.

Oudendorpius de litera C, transverso ordine posita, ablegat ad Montfauc. in Suppl. Antiquit. T. V. p. 38 et ad Leg. Papenbrockii Descript. n. 60. (Tab. XX. n. 5). Hujus vero literae, inverso ordine positae, tot exstant exempla, ut, nisi errores quadratariorum habeas, varietatis causa sic scriptam esse putes; vidd. v. c. Orell. n. 3239, et Jahn. Spec. Epigr. p 32. n. 40; p. 33. n. 61; p. 37. n. 99; p. 44. n. 177, all. Aviculae, lateribus insculptae, si columbae sunt, lapis Christianae originis habendus erit; cf. Tab. XXIV. n. 6.

4. In lamina marmoris caerulei, *Roma*, ubi in villa Caesarina fuit, a Wittio deportata et postea museo Papenbrockiano illata. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 49. n. 62. In lateribus foramina cernuntur, ferreorum clavorum fragmentis plena. — Alt. 0,205; lat. 0,48 Cub. Neërl.

VOLVSIA, FADAE *Liberta*, V[R]BAN*o* || HILARI, CAESARIS GAEI *liberto*, || IN HONOREM HILARI OL[L]AM || ET LOCVM SEPVLT*urae* EX OMNIVM || *Decurionum* *Decreto*.

Vs. 1. Nominis VRBANI litera R non absoluta est. Vs. 3. OLAM s. OLM pro OLLAM. Suspicatus est Oudendorpius, vs. 2. sub nomine GAEI, Caligulam intelligendum esse, cf. Grut. p. 188. 7. Idem priores versus paullo aliter legit, nempe: „*Volusia*, *Fadae liberta*, *Urbana*, conjux (ut existimo) *Hilari*, liberti Caesaris" etc.

5. In lamina marmorea, quam ex *Italia* attulit J. de Witt, postea possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 48. n. 60. — Alt. 0,215; lat. 0,11 Cub. Neërl.

POSTVMIA *Publii* *Liberta* MVRTIS || *Publius* POSTVMIVS *Publii* *Libertus* || EVDAMVS *Fecit* || *Viva* POSTVMIA *Caji* *Liberta* LESBIA.

Vs. 1. in Tabula per errorem litera P ante L omissa est.

6. In fragmento frontis urnae quadratae ex albo marmore, quod, ex *Italia*, ut videtur, allatum, olim possedit J. Sixius, postea Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 40. n. 49. Minutum fragmenti ectypum comparet inter ornamenta paginae primae Ep. Itin. Jac. Tollii. — Alt. 0,175; lat. 0,39 Cub. Neêrl.

: : : : : : : : : : : : : : : || : : : : : : : : : : : : : : : || ET FVRIA LOC[H]AS *Liberta* ET || FVRIA NOTHIS *Liberta* *DeDerunt.*

Infra inscriptionem in medio pronus apparet genius alatus, tenens collari lupam vel canem mammosam. Uterque insidet ac cingitur encarpo, sub quo binae cernuntur aviculae.

7. In fronte arae marmoreae quadratae, incertae originis, sed ab Humbertio huc missae. — Alt. 0,80; lat. 0,37 Cub. Neêrl.

AVRELI || VS ALEX || AND[E]R || [M]A[T]E[R] EIVS (sic) || [FACIVNDVM] (sic) || CV[RAV]IT.

Inscriptio valde exesa est, ita ut restauratio nostra vs. 4° et 5° incertior sit.

8. In fragmento marmoris caerulei, quod in *Africae* oris septentrionalibus repertum misit Humbertius. — Alt. 0,25; lat. 0,36 Cub. Neêrl.

Lucius OCTAVIVS LVCI*i* (*Filius* s. *Libertus*) || LIGVRIS, LIPAPRODIV*s* || *Luciae* OC TAVIAE *Lucii* *Libertae* OPIALA[E] [ET || LIBERIS S]VIS SI[*bi*] VIVO : : (sic).

Versus 4us quomodo probabiliter restituendus sit, nescire me fateor.

TAB. XXI.

1. In cippo ex marmore nigro, quem in ruderibus *Carthaginis* anno 1823 effodit, atque deinde huc transmisit Humbertius. — Alt. 0,46; lat. maxima 0,235 Cub. Neêrl.

: : : : : : : || [*Caja*] C[AESE]HA, *Marci Filia* INGENV[A] || [*Caja*] C[AESE] HA, *Marci Filia* INGENVA || QVAE IDEM *Hic Sita Est* || VIXIT A[NN]IS XIII CVIVS OSSA || IN A[R]A MONVMENTI SVNT || IN IN[FIMA]M CI RIA[M] RELIQVVM [S]E[PVLTVM] EST I[NIQ]VO. HIC I[ACENT OSSA].

Vs. 3. IDEM pro EADEM; vs. 6. RELIQVM pro RELIQVVM, et INFIMAM CIRIAM pro INFIMA SYRIA.

Literae ita excsae et detritae sunt, ut non sine summa diligentia restaurari potuerint. Intelligitur ex versu 3, quomodo versus 2us reficiendus sit, qui quidem nobis repetitio esse videtur literarum supra sculptarum. Forma literarum talis est, ut titulum ad tempora AUGUSTI referas; cf. Kalendarii Cumani fragmentum, quod ex KELLERMANNI schedis edidit *Jahnius*, Spec. Epigr. p. 1 et Tabula ibidem.

2. In basi cippi quadrati ex lapide calcareo, qui in agro Wiltenburgensi prope *Traj. ad Rhenum* repertus, olim GRAEVII fuit, postea PAPENBROEKII. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 5. n. 2. Delineationes et explicationes dederunt, sed non accuratas: BOXHORNII editor, G. A ZIJLL, Fig. 127; C. PATINUS, in Relat. Hist. p. 196; REINES. Inscript. Cl. VIII. n. 58; MONTFAUCONIUS, Antiq. P. 2. T. 2. p. 444, coll. cum P. 1. T. 3. p. 86; SAXIUS, De Ara Rom. p. 151; CANNEGIETERUS, Monum. Dodewerd. p. 231 et 284, et STEINERUS, Cod. Insc. Rom. Rhen. p. 159. n. 967. — Alt. 1,05; lat. 0,80 Cub. Neêrl.

Dis Manibus VALENTI || BITITRALI || [V]ET*erano* EX *Numero* ALAE I || [TR]A CHVM *Haeres Fieri Curavit.*

Supra basin monumenti anaglyphon hoc: Jacet semisupinus in triclinio vir barbatus, sinistro brachio pulvinis nixus, dextra manu culullum attollens. Ante illum stat mensa sepulcralis; juxta mensam cantharus; a tergo accumbentis servulus, dextra cantharum effundens; ad pedes, alius, cistam ansatam tenens. Margines, utrimque prominentes, columnarum formam habent, et anaglyphis instructi sunt, valde exesis. Ex iis vix quidquam distingui potest nisi duo viri, qui brachiis expansis aliquid gestant. Artis ratio et literarum formae apprime conveniunt

cum illis, quae praefert monumentum Dodewerdense, a CANNEGIETERO descriptum atque jure, ut nobis videtur, ad TRAJANI tempora relatum.

3. In lamina marmorea quadrata, quam olim ex *Italia* attulit J. DE WITT, possedit postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 41. n. 55. — Alt. 0,63; lat. 0,34 Cub. Neërl.

LOCVS SEPVLTVRAE || DATVS A PROCVR[A]T*oribus*. || DIIS MANIBVS || COR NELIA ET SMYRNA || FECIT SIBI ET SVIS POST || ERIS ET NEPTVNALIS CAESA[R] ||. IN FR*onte Pedes* VIII || IN AG*ro Pedes* VIII.

Vs. 2. PROCVRT pro PROCVRAT; vs. 5. FECET pro FECIT; vs. 7. litera tertia, F vitiose sculpta est.

OUDENDORPIUS l. c. vocabulum PROCVRT, explicat *procuratore*.

4. In cippo fastigato ex lapide calcareo, anno 1822 in ruderibus veteris *Carthaginis* effosso atque ab HUMBERTIO transmisso. — Alt. 0,51; lat. 0,30 Cub. Neërl.

D*is* M*anibus* S*acrum* || RVFV || S BAM || SATVS || VIX*it* || ANN*os* LX || H*ic* S*itus* E*st*. || D*is* M*anibus* S*acrum* || SECVN || DA RO || GATIAN*i* || FIL*ia*, VIX*it* || ANN*os* LXX || H*ic* S*ita* E*st*.

Si ramus, in tympani medio sculptus, palma habenda sit, ut revera esse videtur, contorti vero literarum ductus, qui in acroteriorum fronte conspiciuntur, significent A et Ω (Alpha et Omega), lapis Christianae originis habendus erit. Sed huic sententiae formula ethnica D. M. S. repugnare videtur. Inter literas nonnullas hujus tituli et lapidis Uticensis, Tab. IX exhibiti, haud exigua similitudo intercedit.

TAB. XXII.

1. In lamina marmoris flavescentis, quam anno 1823 ex *Africae* septentrionalis urbe *Tuneto* misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,18; lat. 0,28 Cub. Neërl.

SATVRVS || PIVS || VIX*it* AN*nis* XXII MENS*ibus* XI H*ic* S*itus* E*st*.

SATVRI nomen non prorsus ignotum est, vid. v. c. GRUTER. p. 820. 4.

2. In lapide calcareo, quem in *Africa* septentrionali repertum, huc misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,195; lat. 0,225 Cub. Neërl.

Dis Manibus Sacrum. VICTOR CA || PII (sc. *filius*) VIXIT ANNIS LXV.

Observari meretur discrimen inter puncta diacritica, quae versu 1 folia sunt, in ceteris vero versibus cunei formam habent.

3. In lapide calcareo quadrato, quem, anno 1821 in ruderibus *Carthaginis* effossum, transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,35; lat. 0,27 Cub. Neërl.

D*is* M*anibus* S*acrum* || CAVETDI[VS] || MAXIM[VS] || P*ius* VIX*it* ANNI*s* XX : || T*ibi* T*erra* L*evis* S*it* O*ssa* T*ua* B*ene* Q*uiescant.*

4. In lamella marmorea albi coloris, quam ex *Italia* a WITTIO allatam, postea possedit PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 35. n. 42; ex quo titulum repetivit J. G. HAGENBUCHIUS, Ep. Epigr. p. 608. — Alt. 0,14; lat. 0,265 Cub. Neërl.

M*arcus* LICINIVS || HERCVLANVS || VIX*it* AN*nis* XX H*ic* S*itus* EST || T*e* R*ogo* Q*ui* L*egis* D*icas* S*it* ILLI T*erra* L*evis.*

Ad interpretanda sigla finalia, OUDENDORPIUS has conjecturas proposuit; 1. *Hic situs est tumulo, requiescitque loco dato, sit illis terra levis;* 2. *hic situs est, translatoque locus datus* etc.; 3. *Terra regesta qua locus datus.* Nostra interpretatio debetur HAGENBUCHIO, nititurque titulis GRUTER. p. 695. 9, et MURAT. 1189. 1. Cf. quoque HAGENBUCHIUS l. c. p. 50, ubi lapidem *Auximi* repertum, et a MURAT. p. 1672. 10 (cf. 1095. 8) exhibitum, eodem modo interpretatus est; posteriorem hunc repetivit ORELLIUS, l. c. n. 4757.

5. In cippo fastigato ex lapide calcareo, quem in *Africae* oris septentrionalibus, in confiniis *Bizertes* (vet. *Hippo Diarytus*, vid. SHAW. I. p. 179) et *Matter* (vet. *Oppidum Materense*, vid. SHAW, I. p. 209) repertum, misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,88; lat. 9,51 Cub. Neërl.

Dis Manibus Sacrum. || *Marcus* ANTONIVS || FESTVS CONCES || SIANVS, PIVS || VIX*it* || AN*nis* LXXV. *Hic Situs Est.*

In tympano corona conspicitur encarpo ligata; supra coronam, in fastigio, pars clypei rotundi aut paterae aut flosculi, rudiore modo exsculpti.

6. In lamina marmorea coloris flavescentis, quam in ruderibus *Carthaginis*, die 29 Maji anno 1824, effossam transmisit Humbertius. — Alt. 0,215; lat. 0,275 Cub. Neèrl.

DIIS MANIBVS || SACRVM || *Publius* SVFENAS FELIX, PIVS || VIX[T A[NNIS : : : : || MENSIBVS : : :] DIEBVS X : : : : : : : : : : : || [*Hic Situs Est* (sic)] || *Ossa Tua Bene Quiescant* || *Tibi Terra* [*Levis Sit*].

Lapis valde truncatus est. Suspicari quis possit, PVBLIVM SVFENATEM, vs. 3. memoratum, eundem esse, qui laudatur PVBLIVS SVFFENAS in duabus inscriptionibus, *Romae* in basi praegrandi sculptis et olim ad Pitiscum missis, ut refert, qui illas edidit, Tollius, in Ep. Itin. p. 2 et 3. (Tertia, ibidem a Tollio memorata, eadem nobis videtur esse atque illa, quam primo loco memoraverat, sed mutila). Verum obstat, quod in illis inscriptionibus non SVFENAS legitur sed SVFFENAS; tum, quod vetustiores esse videntur quam noster titulus est; denique, quod homines spectent in dignitate versantes, qualis noster SVFENAS non fuisse videtur.

Explicationem literarum marginalium similem dedit Hagenbuchius, De dipt. Boëth. p. 155, in explicanda Florentina inscriptione apud Murat. p. 1225. 8, ut video in Orellii, C. I. Lat. n. 4759; qui conferri quoque jussit Murat. p. 1527. 9 et p. 1714. 10, atque Gor. Etr. 2. p. 398.

TAB. XXIII.

1. In cippo fastigato ex lapide calcareo, quem, in *Carthaginis* ruderibus repertum, anno 1823 misit Humbertius. — Alt. 0,44; lat. 0,37 Cub. Neèrl.

Dis Manibus Sacrum || CAECILIVS SATVRNIN[VS] [C]OMMORIANVS PIVS || VIXIT ANNI*s* LXXV || *Hic Situs Est. Ossa Tua Bene Quiescant Tibi Terra Levis Sit.*

2. In lapide calcareo, quem in ruderibus *Carthaginis* anno 1823 effossum transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,455; lat. 0,295 Cub. Neêrl.

Dis Manibus Sacrum || SATVRNIN || VS RVFI FAVS || TI *filius*, PIVS VIXI[T] ANNIS XVI (sic). *Hic Situs Est. Ossa Tua Bene Quiescant. Tibi Terra Levis Sit.*

In vs. 5. error quadratarii latet, qui XVI aut LXV scribere debuisset.

3. In lapide calcareo, quem in *Africa* septentrionali, locis *Bizertes* et *Matter* (cf. p. 111. n. 5), repertum transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,55; lat. 0,295 Cub. Neêrl.

Dis Manibus Sacrum || *Cajus* IVLIVS || GALLICANVS || [*Pius*] *Vixit Mensibus* XIIII. *Hic Situs Est.*

Supra inscriptionem sculpta sunt funda et cateja, cujusmodi in sepulcris Gallicis reperta fuerunt; vid. v. c. M(ARTIN), Religion des Gaulois T. II. p. 311 seqq. ibidemque Tabula.

Ex nominibus *Cajus* IVLIVS haud temere conjicias titulum spectare libertum, aut aliquem ex posteris liberti, CAJI JULII CAESARIS Galliarum debellatoris; cui remotiori aetati literarum quoque formae non repugnant. Titulum antea memoravimus in commentatiuncula: Over oude werptuigen te *Katwijk* opgedolven; inserta collectioni historico-antiquariae, inscriptae: Bijdragen voor Vaderl. Gesch. en Oudh., door Is. AN. NYHOFF; Arnhem. 1841. 8°. Tom. III. Part. 2. p. 137 seqq.

4. In lamella quadrata marmoris flavescentis, quam anno 1823 in ruderibus *Carthaginis* repertam misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,215; lat. 0,385 Cub. Neêrl.

DIIS MANIBVS SACRVM. || *Publius* VOLVSSIENVS PACATVS SATVRIAN || VS PROCVLI *Filius* VIXIT ANNIS II (*sic*) MENSI || BVS IIII. ITA TIBI CONTIN GAT QVODVIS VT || HOC SACRVM NON VIOLES.

Formula finalis, vs. 4 et 5, insolens est. Similes, at non aequales, vidd. in titulis GRUT. 599. 3; 601. 10; 996. 13, all. Palaeographica quoque literarum forma haud

solennis est, ita ut literae accedant ad eas, quae nomine minusculorum Gothicorum appellari solent. Titulus haud dubie ad tempora posteriora, fortasse *Justiniani*, est referendus.

TAB. XXIV.

1. Lamella marmorea albi coloris, quam ex *Italia*, ut videtur, allatam possedit olim PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 42. n. 51. — Alt. 0,135; lat. 205 Cub. Neêrl.

HYGIA || VIX*it* ANN*is* IIII.

Lamella ab utroque inscriptionis latere modo securiculato exsculpta est, atque in singulis lateribus foramen habet, quod clavo impingendo inserviit.

2. Frons urnae quadratae marmoreae operculo praeditae, atque ex *Italia*, ut videtur, advectae. Possedit olim PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c. p. 30. n. 34. In tabula aeri sculpta edita est ab J. OUDAAN, in opere: Roomsche Mogenheid, p. 388, sed non accurate. Exstat item apud N. CHEVALIER, Déscription de la chambre des Raretés, etc. pl. 15. n. 68. — Alt. 0,30; lat. 0.325 Cub. Neêrl.

ACILIA HYGIA || V*ixit* A*nnis* XIX.

Anaglypha, quibus praedita est urna, sic bene indigitavit OUDENDORPIUS: „ornata encarpo et foliis, fructibus et conchiliis marinis, teniis dependentibus. Insident duae aviculae, sese mordentes. Infra quoque duae malae, sed separatae et aversae. In angulis capita sunt arietum. Initio laterum ramusculi hederacei cum uva. Operculum --- itidem ornatum aviculis, mutuo conchylium tenentibus, binisque rosis, etc." — Operculum ab una parte mutilatum est.

3. Lamina fracta marmoris flavi, quam in *Africae* oris septentrionalibus repertam transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,185; lat. 0,25 Cub. Neêrl.

D*is* [M*anibus*] || MANIA CER[TVLA] PIA VIX*it* AN*nis* XXX || [H]*ic* S*ita* E*st*.

4. In marmoreo lapidis fragmento albi coloris, quod, ex *Italia* verosimiliter advectum, olim possedit CONST. HUGENIUS, postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 51—52. n. 66. — Alt. 0,26; lat. 0,64 Cub. Neêrl.

TIBV[R]TINAE FIL[I]AE DVLCI || SSIM[A]E POSVIT. OBIIT IDIBVS || IVN*iis* VIX*it* *Annis* XXI, *Mensibus* II, *Diebus* V.

Vs. 1. TIBVTINAE pro TIBVRTINAE; FILAE pro FILIAE; DVLCISSIME pro DVLCISSIMAE. — Deest nomen parentis.

Sigla nominis CHRISTI, repetita vice in fine posita, atque palmae ramus titulo praefixus, satis indicant Christianam inscriptionis originem. ARINGHIUS, Roma Subt. p. 318. (edit. Arnh. 1671 8°.) palmam judicavit indicium esse martyrii, quod is subierit, cujus nomini adsculpta sit. Est sine dubio symbolum victoriae ab homine Christiano de ultimo, qui vocatur, hoste, i. e. morte, reportatae; qui victores in libro Apoc. VII. 9. finguntur, stantes coram throno agni Dei, longis et albis vestibus induti *ramosque palmarum* manibus tenentes. In eodem ARINGHII opere p. 309 sculpta sunt columba et palmi ramus, in cippo sepulcrali infantis Q. V. mensibus 7 diebus 19; quod igitur vix martyrium subiisse dici potest. Sed titulus sequens ARINGHII sententiam confirmare videtur.

5. Lamina marmorea flavescens, in quinque partes fracta, reperta vero in *Africae* oris septentrionalibus, atque ab HUMBERTIO huc missa. — Alt. 0,29; lat. 0,21 Cub. Neêrl.

[P]ER[E]GRINVS, || SAT[V]RNINVS, || [PA]VLVS, [A]MASIA, || [L]IBATA (sic), : : : : : : ||

Infra, ante columbas, nomen excidisse videtur, quod ut credamus facit sigla nominis Christi, ibi posita. Columbae, quae siglam antecedunt, notum SPIRITUS SANCTI symbolum sunt. De serie figurarum, in superiore et medio lapide rasarum, dubium mihi est, utrum mera ornamenta habenda sint, an anchorae, Christianae spei symbolum. De ramis palmae, nominibus vs. 3 et 4 affixis, vid. n. 4.

6. In infima margine sarcophagi marmorei oblongi pulcherrimeque elaborati, quem *Romae* olim summis impensis sibi comparavit et inde magno labore transvehi curavit J. DE WITT. Possedit postea PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS l. c., p. 31—32. n. 35. — Alt. 0,635; lat. 2,115 Cub. Neêrl.

Piae Memoriae Sancti MARCELLI VRBIS EPISCOPI.

Sarcophagi frontispicium distinctum est segmentis quinque, inter sex tortiles columnas basin et capita sua habentes. In singulis segmentis SERVATOR conspicitur cum duobus discipulis, juvenili aetate, imberbis, longisque in cervicem dependentibus capillis.

Primo segmento contineri videtur historia juvenis Nainitici in vitam revocati.

Secundo, CHRISTUS PETRO claves offerens.

Tertio, mulier peccatrix, ut videtur, in templo; pone stat columna, cujus capiti insistit gallus.

Quarto, CHRISTUS pueris manum imponens iisque benedicens.

Quinto, juvenis, ut videtur, dives, qui SERVATOREM rogavit, quid sibi faciendum esset, ut aeterna salute potiretur.

Inter haec anaglypha et marginem summam cernuntur haec: in angulis duo Tritones tubam inflantes; balaena, JONAM devorans, alia devoratum reddens; JONAS supinus sub arbore jacens; avis denique, quae si columba est, JONAM symbolice indicaret; significat enim vox JONA, Hebr. יוֹנָה, columba. JONAE historia, in Christianis sarcophagis saepissime repetita, symbolice mortem et resurrectionem SERVATORIS indicare videtur; cf. MATTH. XII. 40.

In utroque sarcophagi latere gryphus, expansis alis.

Anaglypha conveniunt cum similibus sculpturis, in sarcophagis vetustis Christianorum, quales delineatas ediderunt ARINGHIUS, BOTTARIUS, alii; repertas non solum *Romae*, verum [in ipsa adeo *Gallia* meridionali, v. c. *Arelate* et *Massilia*; vid. MILLIN, Voyage dans le midi de la France, Pl. LVI. LVIII. seqq. R.]

De MARCELLO, primo hujus nominis Episcopo, qui anno cccx obiit, atque de ejus sepultura, vidd. *Acta Sanctorum* et Paparum vitae; cf. ARINGHII Roma Subt. P. II. p. 219. Inscriptio REUVENSIO, ut ex annotatione MS. intellexi, spuria, certe

a recentiore Christiano profecta videbatur. Cui sententiae equidem nondum accedere potui, quoniam in literarum conditione non reperi, quod idoneam de antiquitate tituli dubitandi rationem offerret. Inscriptionem vero paullo recentioris temporis esse quam sarcophagum, immo ab alia manu esse profectam, quam ab ea, quae sarcophagum exsculpsit, nequaquam nego. Hujusmodi enim sarcophagos in tabulariis venales fuisse, ac tum demum titulis suis esse ornatos, quum ad recipiendum funus emerentur, magna cum veri specie statuas.

Aversa sarcophagi pars deest, atque OUDENDORPIO numquam adfuisse videbatur.

TAB. XXV.

1. In lamina marmorea, quam in *Africae* oris septentrionalibus inventam huc transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,27; lat. 0,215 Cub. Neêrl.

[V]ORTICIVS || VIXSIT IN || PACE AN||NIS LXV P[L]VS || MINVS.

Vs. 2. VISXIT pro VIXSIT vel VIXIT; AN (?) pro IN; vs. 4. PVS pro PLVS.

2. In lamella marmorea oblonga, quam in ruderibus *Carthaginis*, anno 1821, effossam huc transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,24; lat. 0,525 Cub. Neêrl.

VITATICA || IN PACE.

Versu 2° observetur insolens forma literae E.

3. In lamina marmorea, quam ex *Italia* allatam possedit primus J. DE WITT, deinde PAPENBROEKIUS. Descripsit OUDENDORPIUS, l. c. p. 51. n. 65. — Alt. 0,24; lat. 0,49 Cub. Neêrl.

PAVLVS ASCLEPIVS || BON[A]E MEMORIAE || QVI VIXIT MEnSibuS VII DIE BVS XVIII || NATVS VIII KALENDAS OCTOBRIS.

Vs. 2. BONE pro BONAE; vs. 3. BIXIT pro VIXIT; MESIS pro MENSES aut MENSIBVS. OUDENDORPIUS similem scripturam conferri jubet, in Marm. Pisaur. p. 66, 67 et in FABRETT. Insc. Cap. VIII; vitiosamque scribendi rationem vs. 1 et 2, ex istius, quo facta est inscriptio, seculi pronunciatione deducit. De columba, ut videtur, in medio sculpta, vid. p. 115. n. 5. Quod ad palaeographicam tituli conditionem attinet, bene vidit

Reuvensius in annot. MS. scribens: » suspicari possit quis, *Asclepii* nomen serius additum; nec forma literarum, praecipue literae E, cum reliquis convenit." Sine dubio ab alia manu hoc nomen profectum est. A quadratario omissum, postea ab illiterato homine, ex Pauli fortasse familia, additum esse potest. Insolentiores formae literarum sunt B et R, vs. 1, 2, 3 et 5.

4. In lamina marmoris, quam olim ex *Italia* attulit J. de Witt, postea possedit Papenbroekius. Descripsit Oudendorpius l. c. p. 42. n. 52; cf. Donii Insc. Cl. XX. 7. — Alt. 175; lat. 54 Cub. Neërl.

DEP*osita* IRENETIS. TELEFORVS || XIII KAL*endas* MAI.

TELEFORVS, fortasse TELESPHORVS scribi debuisset. Nomen ejus est, qui vel ossa deposuit vel ipsum quoque lapidem dedit.

5. In fragmento lapidis calcarei, quod in ruderibus *Carthaginis* anno 1823 effossum transmisit Humbertius. — Alt. 0,58; lat. 0,75 Cub. Neërl.

: : : : : : : : : : : : || : ENIADI FI[L]*ia* (sic) || [IN PA]CE VIXSIT || : : : : [De] P*osita* VIIII KAL*endas* FE[B]*ruarias*.

Inscriptio rudissimi operis est. Lectionem vs. 1. dubio non carere fateor. Nomen ENIAS vel ENIADVS mihi ignotum est; neque assequor, quo alio modo vocabulum sit supplendum. Forma literae D versu 1° raro obvia est.

6. In fragmento marmoreo albi coloris, quod in *Africae* oris septentrionalibus repertum transmisit Humbertius. — Alt. 0,105; lat. 0,125 Cub. Neërl.

[*Piae Memoriae* vel *Diis Manibus*]. [HIC SIT]VS EST INFA[NS] : : : SERTVS AB ANNI[S] || : : : [V]IRO TVNC NOMI[N]A : : : || : : : : : : : : DECENT : : :

Definiri amplius nequit, quantum desit. Punctis tantummodo indicavi, quot literae deesse possint, si ex literis residuis iudicium feras. Incertum quoque est, utrum Christianum an ethnicum sonet; sed rhythmici aliquid mihi subolet. Fortasse poetici epigrammatis fragmentum est, cujus generis sexcenta exstant; cff. imprimis duo, quae leguntur apud Gruter. p. 766. 7 et 950. 10.

7. In fragmento marmoris caerulei, quod in oris *Africae* septentrionalibus repertum misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,135; lat. 0,165 Cub. Neèrl.

: : NNCON : || [DE] CALCI || DONIA D || ONV[M] (sic).

Dubium, utrum ad sepulcralia monumenta pertineat. Fortasse majore jure ad titulos honorarios refertur. Si sepulcrale, vide an vs. 1 recto restituas [A]NN*os* CON*jugi*,

8. In fragmento marmoris, quod in oris *Africae* septentrionalibus repertum transmisit HUMBERTIUS. — Alt. 0,09; lat. 0,09 Cub. Neèrl.

[CONSTANTIN]VS (sic) PIVS (sc. *vixit*) || : : : [KAR]ISSI*mo* : : : (sic)

TAB. XXVI.

1. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi*, in villa *Arentsburga*, reperti. — Lat. 0,15; crass. 0,10 Cub. Neèrl.

: : [P]IA : : || PAC : : (sic)

Literarum formae pulcerrimae actatem priorum imperatorum arguere videntur cf. titulus VESPASIANI, Tab. XI. n. 3.

2. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi*, ut n. 1, reperto. — Lat. 0,15; crass. 0,065 Cub. Neèrl.

: : [STI] || : : SSVS ||

Ex literarum forma conjicias, illud olim conjunctum fuisse cum fragmento n. 1, quamvis crassitudo, ut nunc est, paulisper differat.

3. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,09; crass. 0,08 Cub. Neèrl.

Potuit hoc fragmentum olim pertinuisse ad n. 1 et 2.

4. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,18; crass. 0,05 Cub. Neèrl.

Si [DECEMB]ER legendum esset, ejusdem esse possit ULPII DECEMBRIS, cujus ara GENIO COLLEGII PEREGRINORUM posita ibidem reperta est; aram vide, Tab. XIII. n. 3.

5. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,07; crass. 0,09 Cub. Neêrl.

6. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,11; crass. 0,09 Cub. Neêrl.

7. In simili fragmento, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,05; crass. 0,06 Cub. Neêrl.

8. In fragmento lapidis arenacei rubri, *Voorburgi* reperto. — Alt. 0,09 Cub. Neêrl.

9. In fragmento lapidis calcarei, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,14; crass. 0,11 Cub. Neêrl.

10. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,06; crass. 0,14 Cub. Neêrl.

11. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,06; crass. 0,18 Cub. Neêrl.

12. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,13; crass. 0,18 Cub. Neêrl.

13. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,18; crass. 0,10 Cub. Neêrl.

14. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Crass. 0,11 Cub. Neêrl.

15. *a.* In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,14; crass. 0,11 Cub. Neêrl.

    b. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,06; crass. 0,18 Cub. Neêrl.

Fragmenta *a.* et *b.* unius ejusdemque inscriptionis sunt. Literarum formae elegantissimae sunt et ad priorum imperatorum tempora, ut videtur, referendae. Cf. n. 5.

16. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,20; crass. 0,19 Cub. Neêrl.

17. In fragmento ejusdem lapidis, *Voorburgi* reperto. — Lat. 0,21; crass. 0,11 Cub. Neêrl.

18. In fragmento marmoris flavescentis, quod, ut videtur, in *Africae* oris septemtrionalibus repertum, huc misit HUMBERTIUS. — Alt. 0,11; crass. 0,09 Cub. Neêrl.

: : VA : :

INSCRIPTIONES EX VARIA SUPELLECTILE DESUMTAE.

19. *a*. Pila stannea, *Voorburgi* reperta, et sua magnitudine exhibita. Literam A incisam habet.

b. Litera M, in altera ejusdem pilae parte sculpta. Pila, si Romani operis habenda est, glandula missilis esse possit, atque literae explicandae: *Mitto*, *Accipe*.

TAB. XXVII.

1. In tegula ex Museo Regio rerum curiosarum, quod olim *Amstelodami* fuit, huc advecta, sed verosimiliter ex *Italia* oriunda. — Alt. 0,13; lat. 0,14; crass. 0,05 Cub. Neêrl.

EX PR*aediis Coloniae Copiae Claudiae*, *Curatum* AB EVRIPO. PAETINO ET APRONIA[NO] CO*nSulibus*.

Ex adscriptis consulum nominibus patet, lapidem referendum esse ad annum U. C. 875, p. C. n. 123, quo Q. ARTICULEJVS PAETINUS et L. VERRVLEJVS APRONIANVS Consules fuerunt. Literas C. C. C. per *Coloniam Copiam Claudiam* explicandas esse, docet inscriptionis fragmentum in *Rhodani* ripa repertum, apud GRUTERUM p. 30. : : : DOMVSQ. DIVI || COLON. COPIAE CLAVD. AVG. LVGD. || TAVROBOLIVM FECITQ. AQVIVS || ANTONIANVS PONTIF. PERPETVVS; cff. tituli GRUT. p. 382. 1; 388. 6, 8; 422. 10; 488. 8; 439. 8; atque ORELLII n. 194 et 2325. — De ipsa Colonia, tempore belli civilis deducta, sub AUGUSTO florentissima, a CLAUDIO, qui ibi natus est, multis ornamentis aucta et COPIA CLAUDIA dicta, vidd. scriptores veteres quos excitavit CELLARIUS, Geogr. Ant. L. II. C. II. Sect. III. p. 175 et 176, Edit. II.

De his similibusque inscriptionibus, bulla rotunda in tegulis impressis et consulum nominibus insignitis, vidd. FABRETT. Insc. C. VII. p. 512—513; DONIUS, Insc. p. 38.

16

n. 123 et p. 100. n. 138; Maffeius, Mus. Veron. p. 109; Boldetti, Osservazz. sopra i Cimiteri di Roma, Vol. I. p. 527—534; A. de Romanis, Le Antiche camere Esquiline, Roma 1822. Tav. V. p. 45 seqq.; Schöpflin. Alsat. Illustr. T. I. p. 511, et Museum, p. 108. Tab. 9; J. C. Hagenbuchius, De figlinis in circulo sive in orbem inscriptis, in Orellii C. I. L. Tom. II. p. 371. §. 22; et C. F. Bellermann, Die ält. Christl. Begräbnisstätten, p. 62. Quod superest, me nescire fateor, quid significet orbiculus minor, qui literis destitutus est, sed in aliis quoque similibus titulis conspicitur, ut n. 2 et 4.

2. In tegula, eodem modo quo n. 1. huc delata. — Alt. 0,115; lat. 0,13 et crass. 0,04 Cub. Neêrl.

OP*us* DOL*eare* DE[F]I[G]*ulina* DOMITI*i* CARPI. EX PR*aediis* DOMIT*iae* LV CIL*lae*. VERO III CO*nSule*.

M. Annius Verus III Consul fuit A. U. C. 878, p. C. n. 126.

Quid significet vs. 2 vocabulum decurtatum DELIC non assequor, nisi perperam sculptum sit pro DEFIG. Sic recte demum procedit sententia. De Domitia Lucilla S. Calvilla Publii (Calvisii Tullii) filia, Annii Veri uxore, M. Aurelii Antonini matre, vidd. Fabrett. Insc. p. 512. n. 164 seqq. et p. 513. n. 178 seqq., ubi similes ejusdem DOMITIAE nomine insignitae inscriptiones memorantur, atque in illis multae, quae Consulum PAETINI et APRONIANI nomina praeferunt; et Marini, Atti p. 567; cff. Murator. Vol. I. p. 500. n. 1. et p. 500. n. 4; Doni, Insc. p. 97. n. 112. et Orell. n. 856.

Brevitatis causa factum videtur, quod unius tantum consulis nomen in nostro lapide scriptum sit; cujus rei exempla quoque alia exstant, vid. v. c. Fabrett. Insc. p. 506. n. 122.

3. In tegula, eodem modo quo n. 1. huc delata. — Alt. 0,12; lat. 0,135; crass. 0,04 Cub. Neêrl.

OP*us* DO*leare* EX OF*ficina* *Lucii* MAL*ii* THR*ecis* [ET] *Caji* CAL*petani* CRE*scentis*. *Lucio* AELIO CAES*are* II ET BAL*bino* CO*nSulibus*.

L. Aelius Verus Caesar II et P. Coelius Balbinus Vibulius Pius consules fuerunt A. U. C. 889, p. C. n. 137.

MALIVS nomen notum est, v. c. ex Insc. Romana apud GRUT. p. 127, ubi M. MALIVS ROMANVS, qui ANTONINI tempore vixit, memoratur; vidd. etiam OLIVER. Marm. Pis. 90 et JAHN. Specim. Epigr. p. 31. n. 36. Vocabulum decurtatum THR explicavimus per THR*ecis*, auctoritate ORELLII n. 2566, quamvis THRAC*um* quoquo nomen in lapidibus occurrat. Spatium inter vocabulum THR et CCAL conjectura supplevimus per ET, quod tamen numquam adfuisse videtur.

Caji CALPETANI figuli nomen legitur in simillimis inscriptionibus *Romae* repertis, Consulum item nominibus PAETINO et APRONIANO insignitis; vidd. FABRETT. Insc. C. VII. p. 509. n. 138, et DONIUS p. 98.

In tegula, *Romae* sub hortis Matthaeiorum reperta et ex praediis DOMITIAE LUCILLAE oriunda, consulum quoque nostrorum nomina impressa leguntur, hoc modo: LAELIO CAESARE || ET LAB. COS; vid. FABRETTUS, Insc. C. VII. p. 513. n. 180, qui vocabulum penultimum LAB, per errorem inverso ordine scriptum, recte in BAL restituit. Hic posterior error facit, ut facilius etiam in superiore titulo, n. 2, sculptoris errorem admittas; cf. quoque numerus sequens.

4. In tegula, eodem modo quo n. 1. huc advecta. — Alt. 0,144; lat. 0,137; crass. 0,035 Cub. Neêrl.

Titus TRAVI*us* FELIX FIGVL*us* FVRI. DE FIGVL*ina* VALERIAE POLL*iae.*

In Museo Cardinalis ALEXANDRI ALBANI olim fuit tegula, titulo insignita, qui nostro omnino similis fuisse videtur, vid. MURATOR. Vol. I. p. 50. n. 23. MURATORIUS quidem illum sic exhibet: T TRAVI FELIX FIGVL FVRI RESTGVL VALERIAE POLL; sed error vocabuli RESTGVL facile perspicitur; quod sensum non habet, nisi emendes DEFIGVL. TITI TRAVII FELICIS figuli nomen quoque legitur in duabus aliis tegulis, *Romae* repertis; vid. FABRETT. Insc. C. VII. p. 517. n. 246 et p. 518. n. 273. Harum inscriptionum prior vitiis non immunis est; posterior, quamvis non ab omni parte sana, aliquid facit ad fabricam nostri figuli melius cognoscendam. Est enim haec: OP DOL EX PR AVGG NN FIG OCE || AN MINOR TRAVIO FELICE. Hinc nimirum intelligitur, TRAVIUM FELICEM figulum fuisse OCEAN*orum* MINOR*um*, h. e. soliorum, in quibus plures lavare solebant. Ex nomine *Tito*, conjicere possis, illum ex posteris libertorum Imperatoris TITI fuisse. Ad eandem familiam pertinere censendi fortasse sunt TRAVII illi aurifices, qui in titulo Armeriano memorantur a GRUTERO

p 1117. 1. hoc modo exhibito: T. TRAVIVS. T. L. ARGENTIL || VS. AVRIFEX. TRAVIVS || T. L. ACVTVS. AVRIFEX || LIB. FEC.

5. In fragmento tegulae, *Voorburgi* reperto.

: : GIOMCOS.

6. In fragmento tegulae, prope *Noviomagum* reperto. Olim fuit in collectione viri Ill. Baronis VAN HEECKEREN VAN BRANDSENBURG.

: : GIOMCOS.

TAB. XXVIII.

1. In tegula, *Noviomagi*, ut videtur, reperta. Olim fuit in collectione Baronis VAN HEECKEREN VAN BRANDSENBURG.

EX*ercitus* G || ER*maniae.*

Figura, qua includitur inscriptio, folii aut flabelli formam habet.

2. In fragmento tegulae prope *Noviomagum* reperto, emto ex collectione Baronis VAN HEECKEREN VAN BRANDSENBURG.

EX*ercitus* GE || R*maniae* || I*nferioris.*

Figura, cui inscriptus est titulus, amphorae formam habet.

3. In tegula *Voorburgi* reperta.

EX*ercitus* GER*maniae* INF*erioris.*

Eadem inscriptio legitur in quadraginta fere tegulis ibidem repertis, quarum una lata est 0,214 et crassa 0,044 Cub. Neërl. In viginti et sex aliis tegulis, sed prope *Noviomagum* repertis, simillimus occurrit titulus. Omnes illae tegulae in Museo L. B. asservantur.

4. In imbrice, *Voorburgi* reperto.

[LE]GI*o* [P]R*ima* M*inervia* (sic).

In duobus aliis imbricibus, ibidem, ut videtur, repertis, simillima recurrit inscriptio. Literae ita contortae sunt, ut lectionem propositam vix probabilem esse credam. Idem valet de titulo sequente:

5. In imbrice *Voorburgi* reperto.

LEGIo [P]R*ima* MIN*ervia* (sic).

Recurrit in alio imbrice Voorburgiano eadem inscriptio.

6. In fragmento imbricis *Voorburgi* reperto.

[L]IIG*io* I. MIN*ervia*.

Bis recurrit in similibus fragmentis ibidem repertis. Observetur forma literae E per duas literas I expressa.

7. In tegula rotunda, quae columellae inserviisse videtur, atque *Voorburgi* reperta est. — Lat. 0,19; crass. 0,054 Cub. Neêrl.

LEG*io*. I. M*inervia* AN[T]*onina*.

Similes tegulae in agris *Noviomagi* suburbanis effossae sunt.

8 et 9. Ex tegulis Noviomagensibus et Voorburgicis. Eaedem sunt inscriptiones atque n. 7; sed n. 9 per errorem inverso ordine sculpta est.

10. In duabus tegulis originis incertae, sed *Noviomagi* aut *Voorburgi*, ut videtur, repertis.

L*egio* X. G*emina*.

11. In tegula prope *Noviomagum* reperta. Ornamenta ad tituli latera sunt sertum et ramus arboris.

L*egio* X. G*emina*.

Simillima inscriptio recurrit in tribus aliis Musei nostri tegulis, ibidem, ut videtur, effossis, atque in duabus, quae *Voorburgi* repertae fuerunt.

12. In imbrice praegrandi ex Museo Regio, quod olim *Amstelodami* fuit, huc delato.

L*egio* X G*emina* P*ia* F*idelis*.

Similis inscriptio legitur in viginti tegularum fragmentis *Voorburgi* effossis, atque in Museo nostro servatis.

13. In fragmento tegulae praegrandis, *Voorburgi* reperto. — Crassa est tegula 0,083 Cub. Neêrl.

LEG*io* XVI.

14. In fragmento tegulae prope *Noviomagum* reperto.

LEG*io* XXX.

15. In fragmento imbricis prope *Noviomagum* reperto.

[L]EG*io* XXX.

16. In fragmento tegulae praegrandis *Voorburgi* reperto. — Crassa est 0,035 Cub. Neêrl.

LEG*io* XXX V*lpia* V*ictrix*.

Idem legitur in duobus aliis tegularum fragmentis ibidem repertis, atque in tribus, quae ex agris Noviomagensibus huc delatae sunt.

17. In fragmento imbricis prope *Noviomagum* reperto.

Leg*io* XXX V*lpia* V*ictrix*.

In duobus aliis, ni fallor, fragmentis idem legitur.

18. In fragmento imbricis prope *Noviomagum* reperto.

LEG*io*. XXX. AN[T]O*niniana*.

Eadem inscriptio recurrit in duobus aliis fragmentis ibidem repertis. Observetur insolentior forma literae L.

Hoc loco in Tabula per errorem praetermissus est titulus:



i. e. LEG*io* I M*inervia* P*ia* F*idelis* ET || LEG*io* XXX V*lpia* V*ictrix*.

Legitur ille in fronte molis calcarei, in patria nostra, loco nobis ignoto, reperti, atque ex collectione Papenbroekiana oriundi. Descripsit Oudendorpius, l. c. p. 8—9. n. 6; cf. n. 12 et 69; edidit quoque et explicuit Cannegieterus in Brittenburgo, p. 116. — Alt. 0,70; lat. 1,18; crass. 0,205 Cub. Neêrl.

Lapis, qui parieti cuidam olim infixus fuisse videtur, a parte aversa valde rudis est et impolitus, sed indubiae fidei; quamvis rarissima sit duarum legionum hujusmodi conjunctio, cujus nobis quidem aliud exemplum non innotuit. Constat, utramque legionem in *Germania inferiore* stationem habuisse; I[mam] MINERVIAM, conscriptam a DOMITIANO (vid. DIO. L. XV. c. 24), et XXX[mam] *Vlpiam Victricem*, ab Ulpio Trajano (vid. DIO. L. XV. c. 24.). Utriusque mentio quoque fit in memorabili columella, legionum nominibus instructa, atque Romae in Capitolio servata; vid. GRUT. p. 513. 2. et ORELL. n. 3368, atque cff. scriptores, quos eo loco excitavit ORELLIUS. In patria nostra lapides repertos fuisse, his legionum nominibus inscriptos, compertum habemus. Legionis scilicet I[ae] lapides effossi sunt *Noviomagi*, *Dorestati*, *Alpheni*, *Voorburgi*, *Catvici;* Legionis XXX[ae], *Noviomagi*, *Dorestati*, *Vechteni*, *Meerni*, *Voorburgi*. De quo alibi fusius agemus.

19. In tegula prope *Noviomagum* reperta.

VEX*illatio* EX*ercitus* GER*maniae* *in*F*erioris*.

Idem titulus in sex aliis Musei antiquarii tegulis legitur. Nisi litera F male rasa sit pro I, mira est et insolita decurtandi ratio.

20. In tegula, *Voorburgi* reperta.

VEX*illatio* EX*ercitus* GE*rmaniae* *in*F*erioris*.

Idem legitur in alia Musei tegula, ibidem reperta, atque in duabus similibus incertae originis.

21. In tegula, *Voorburgi* reperta.

VEX*illatio* EX*ercitus* GE*rmaniae* I*nferioris*.

22. In praegrandi tegula prope *Noviomagum*, in vico *Holledoorn*, reperta.

VEX*illatio* BRIT*annica*.

Quinquies legitur idem titulus in aliis Musei tegulis, prope *Noviomagum* repertis. Nonnullae illarum latae sunt 0,28; altae 0,29; crassae 0,075 Cub. Neêrl.

23. In fragmento imbricis curvati, *Voorburgi* reperto.

PRIMA COhors QVorquennorum (sic).

In lapide Brixiano apud MURAT. p. 1035. 5. et DONAT. 2. p. 335. 2, ex quibus hausit ORELL. n. 3789, legitur: DICTator QVORquennorum, ut explicavit HAGENBUCHIUS, allato PLINII loco, H. N. III, 19.

24. In fragmento tegulae *Noviomagi* aut *Voorburgi*, ut videtur reperto.

25. In fragmento tegulae *Voorburgi*, ut videtur, reperto. — Latum est 0,31; crassum 0,025 Cub. Neërl.

VIII. CO[M] : : (sic).

Quid significet sigla CO[M], ignorare me fateor; fortasse litera ultima non est M, sed alia, ex duabus literis composita.

26. Fragmentum ampullae, *Voorburgi* repertum.

A[MO TE s. AMA ME.]

Vasculum eleganter fabricatum, nigro eoque micante colore obductum est; sed literae atque ornamenta colore albo eoque tam spisso picta sunt, ut anaglyptice fusa videantur. Formulae AMO TE et AMA ME in talibus vasculis non insolitae sunt.

27. Simile fragmentum, ejusdem originis et artis. Inscriptio, olim plenior, haec fuisse videtur: TV [BIBE s. VIVE s. VALE], ut in similibus vasculis interdum legitur.

28. Fragmentum simile, ejusdem originis et artis. Literarum fragmenta reficienda esse videntur: VALE s. VALEAS. — In margine nonnullae lineolae pictae sunt, quae utrum literae habendae sint, nec ne, non liquet.

29. Simillimum fragmentum, similis originis et artis. Literae fortasse restaurandae sunt: [AMO T]E A[MA ME]; cf. n. 26.

Fragmenta, n. 26 usque ad n. 29, sua magnitudine in Tabula exhibita sunt. Tria quatuorve alia, itidem *Voorburgi* reperta, sed magis mutila, in Museo asservantur. Hoc vasculorum fictilium genus raro obvium est. Exstant exempla quoque in Museo Berolinensi, vid. GERHARD. Berlin. Vasenbilder p. 182, sed quae

rudioris operis esse videntur. Nostra fragmenta miram prae se ferunt colorum conservationem et splendorem; in literis talem produnt elegantiam, ut hodierni operis esse putes, nisi vasculi forma et fabrica Romana essent.

TAB. XXIX.

1. In fragmento vasculi ex terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

AE[L]INV[S] s. AE[T]INV[S].

2. In fundo lucernae fictilis, bilychnis atque elegantis operis, quam ex *Italia* attulit HUMBERTIUS.

AIATO.

In superficie anaglyptice impressus est miles gravi armatura armatus, sedens in rupe et respiciens equum retro stantem.

Idem nomen legitur in fundo alius lucernae fictilis, haud minoris elegantiae, quam idem HUMBERTIUS ex *Italia* advexit; sed quae quatuor ellychniis instructa in superficie exhibet genium alatum, qui puerum nudum procedere cogit, dum alius puer nudus antegreditur, qui facem, ut videtur, sinistra tenens, eundem puerum protrahit.

3. In fundo lucernae fictilis, operis elegantissimae, quam olim ex *Italia* misit HUMBERTIUS.

AIMILI: || ERONIS.

In superficie, VENUS victrix et AMOR, stans uterque. VENUS sinistra arcui incumbit, dextra pharetram sustinet. MARTIS galeam AMOR ambabus manibus complexus matri porrigit. Simillimam repraesentationem in gemmis haud raro obviam esse constat.

Nomen ERONIS haud insolitum est, vid. v. c. GRUT. p. 580. 12; 937. 7; 947. 4; 1142. 8. In tegula apud FABRETTUM, Insc. C. VII. p. 501. n. 54, legitur: M. ATI. ERONIS.

4. In fragmento vasculi ex terra sigillata confecti, in patria nostra, ut videtur, reperto.

AITI (sic).

Observetur insolentior forma literae A, ad Graecam et Latinam cursivam proximo accedens.

5. In fundo lucernae ex terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

AMMIV[S].

6. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

AMABILIS.

Idem nomen in similibus vasculorum fragmentis, ibidem repertis, legitur.

7. In fundo lucernae fictilis, quam ex agro *Tunetano* huc misit HUMBERTIUS.

ANCHIA.

In superficie protome mulieris crispatae; capiti luna corniculata imposita est, operis rudioris.

8. In superficie lucernae fictilis elegantissimae, quam ex *Liburno* attulit HUMBERTIUS.

ANIA.

Lucerna tribus ellychniis instructa est, et inscriptio in superficie, juxta protome mulieris eleganter crispatae, impressa est. Infra inscriptionem ensis conspicitur; a dextra pecten, ut videtur; supra, ara, de qua flamma assurgit. Caput mulieris splendide ornatum, personam indicat lautissimae vitae conditionis; anaglypha orbiculo, nummum imitante, inclusa sunt. Fortasse ANIA est nomen ANIAE s. ANNIAE FAVSTINAE, MARCI AURELII uxoris. Illius nomen, ANI scriptum, lapidibus coctis in orbiculo plus semel impressum esse, docuit HAGENBUCHIUS, in Observ. Crit. apud ORELL. C. I. L. II. p. 372—373, quocum lubentes quoque facimus scribente: „vix erit, quod quisquam dubitet *Aniam* et *Anniam*, eandem gentem fuisse; vid. GRUT. p. 719. 3." Conferantur, quae supra monuimus p. 49. n. 3. ad Tab. III. 3.

9. In fundo paterae ex terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

ANISATVS *Fecit.*

Legitur quoque in fundo similis paterae ibidem repertae.

10. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

ANIS[IN]DO (sic).

11. In fundo lucernae ab HUMBERTIO in *Italia*, e collectione TULINII, emtae.

ASILIAC.

In superficie, ovis cornuta.

12. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

ASSIVS F*ecit*.

13. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

ATT[ILI]NVS FEC*it*.

14. In fundo lucernae fictilis, ab HUMBERTIO ex agro *Tunetano* huc advectae.

AVF*idii* FRON*tini*.

In superficie figura pileo similis impressa est.

15. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

AVCELIA s. AVGELIA F*ecit*.

16. In fundo paterae nigro colore obductae, *Voorburgi* repertae.

AVGVSTI F*abrica*.

Litera F inverso ordine posita est. Observetur forma insolentior literae A.

17. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

AVITEO F*ecit* (sic).

18. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

AVNI*us* M*e fecit* (sic).

19. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

BEADA[T]E.

Terminatio barbara E, pro A s. AE, femininum nomen indicare videtur.

20. In vasculi fragmento, ut credo, *Voorburgi* reperto.

BATVR*i* (sic).

21*a*. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

BIGA. FEC*it*.

Idem legitur in quatuor aliis Musei pateris ejusdem materiei, ibidem repertis.

21*b*. Nota, extrinsecus in eadem patera rasa:

XI s. VI (sic).

22. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

BOVDVS. FEC*it*.

Nomen hoc barbarum in multis nominibus, consulum quoque aevi posterioris, superest, ut in MEROBAUDUS, qui cum GRATIANO, A. U. C. 1145, et in BEROBAUDUS, qui cum SATURNINO, A. U. C. 1152, consul fuit.

23. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

BOVDV[TI]VS [FE]C*it*.

24. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

BORIVS.

25. In fundo vasculi, e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperti.

BVCCVS *Fecit*.

Idem nomen in tribus aliis vasculis legitur, ibidem repertis, sed quorum duo nigro colore obducta sunt.

26. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

BVCIANI.

27. In fundo vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperti.

CABRILI*lus* s. CABRILLI*us* M*e fecit* (sic).

28. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CABRVS [F]*ecit*.

29. In fundo lucernae, originis incertae.

Lucius CAESA *Fecit*.

In superficie anaglyptice impressus cernitur flos (*Bubonion* PLINII, L. XXVII. 19; *Aster Amellus*, LINN.).

30. In fundo lucernae fictilis, ex sepulcro *Africae* septemtrionalis, urbi *Bejae* proximo. Misit HUMBERTIUS.

CAIADIEC*i*.

31. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

CAICVA.

32. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CALETINI.

33. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CAPITOLINVS.

34. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CAPRASIV*s*.

In duobus aliis fragmentis vasculorum ejusdem materiel et originis, in Museo asservatis, simillimum nomen legitur; in tertio, quod nigro colore obductum est, plenius legitur: CAPRASIVS FE*cit*.

35. In fundo paterae e terra sigillata confectae, prope *Noviomagum*, in arce *Kraijenhoff*, repertae.

OF*ficina* CARAN*tii*.

In alio vasculo ibidem effosso olim legebatur: CARANT*ius* F*ecit*; vid. J. SMETIUS, Ant. Neom. p. 164. In lapidibus quoque majoribus, in Germania inferiore repertis, CARANTII nomen non semel obvium est; vidd. e. c. L. LERSCH, Central.-Museum, P. II. p. 55. n. 49, et L. J. F. JANSSEN, Gedenkteekenen der Germ. en Romeinen; Utrecht 1836. 8°. p. 120. Pl. VII.

36. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CARI[LL]*ius* [M]*e fecit* (sic).

37. In fundo lucernae, incertae originis. In superficie flos, ut n. 29.

CASSI.

38. In fundo vasculi ex *Africae* septemtrionalis urbe *Eljem* (vet. *Thysdrus*; vid. SHAW, Itin. I. p. 266) oriundi, atque ab HUMBERTIO transmissi.

CASTI.

39. In fragmento imbricis, *Voorburgi*, ut credo, reperto.

CATICA F*ecit* (sic)

40. In fragmento vasculi e terra sigillata confecti, *Voorburgi* reperto.

CATVS F*ecit*.

41. In fundo paterae ex terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae. — Alt. 0,072; lat. 0,30 Cub. Neërl.

CATVSVALIS F*ecit*.

In fragmento vasculi ejusdem originis et materiae, in Museo asservato, legitur: CATV : : : ; quo fortasse idem nomen indicatur.

42. In fundo paterae ex terrae sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CAVTV[S].

Literae TV[S] inverso ordine impressae sunt.

43. In fundo paterae ex terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CAVPIVS.

44. In fragmento vasculi, *Voorburgi*, ut videtur, reperto.

CENSORINV*s*.

45. In fundo paterae ex terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CERIALIS *Fecit*.

46. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CILLVTIVS [F]*ecit*.

47. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CINTVCNATVS.

Idem nomen legitur in tribus aliis pateris ejusdem materiei et originis, in Museo asservatis; illarum una 0,18 Cub. Neêrl. lata; 0,045 alta est.

48. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CIR[IN]NA.

49. In fundo paterae e terra sigillata confectae, *Voorburgi* repertae.

CIRRVS FEC*it*.

50. In fundo lucernae, quam ex *Italia*, ut videtur, misit Humbertius. In superficie, delphinus natans supra ancoram, remo impositam.

CIVNDRAC.

Idem nomen legitur in undecim aliis lucernis in Museo asservatis. Illarum sex, ex collectione Tulinii oriundae atque in *Italia* ab Humbertio emtae, his anaglyphis ornatae sunt: 1. Amor, ut videtur, in biga; 2. Amor, ut videtur, in naviculo; 3. Caput muliebre, valde crispatum; 4. Porcus currens. — Alia, itidem ab Humbertio ex *Italia* missa, caput muliebre valde crispatum impressum habet. Alia, in agro

